



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-244687-p0002-0

DFG

L. D. B. V. 1706, 258.
DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS,
DE
**EO QVOD INIV-
STVM EST CIRCA IVRA-
MENTA IVDICIALIA,**

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO 457
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
PHILIPPO WILHELMO

PRINCIPES BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO
AC DVCATVS MAGDEBVRGICI GUBERNATORE &c.

IN ILLVSTRI ALMA FRIDERICIANA
AVCTORITATE INCLYTI ICtorvm ORDINIS

PRAESENTE
DN. IO. SAM. STRYKIO ICto
SERENISSIMAE VIDVAE SAXO-ISENACENS. CONSILIARIO
AVLICO, PROFESS. PVBL. ET COLLEGII SVI
H. T. DECANO

PRO LICENTIA

Summos in IVRE honores rite consequendi
d. 16. Jun. A. R. S. M DCC VI. horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAIORI

PLACIDAE ERUDITORVM DISQUISITIONI SUBMITTIT
SAMVEL HENRICVS SIBEHT
GVSTROV. MEGAPOL.

HALAE Magdeb. Litteris Orphanotrophii.

DISTITIUS TURDICE NAVAGARIA

EO QVOD INIA
STUTTGART CIRCA INIA
HILDEGARDIA

OMNIS AVICINIA



CAP. I.

DE
CAVSIS INIVSTITIAE CIRCA IVRA-
MENTA IVDICIALIA.

§. I

Ara uis inter homines fides est, ea-
que tam rara, vt alter alteri semper
suspectus videatur, & natum inde
sit proverbiū, *fide, sed cui*, vide.
Et tamen communis illa coguatio,
quam Florentino Iudice, in *L. 3. de*
I. & I. natura inter nos constituit,
commune illud vinculum humani generis, sola fide regi-
tur, conseruatur, nutritur; que non tantum in eo que-
renda est, vt fides data praeſetetur & ferueretur, sed etiam fi-
ducia, tanquam voluntatis affectu & operatione, obſigna-
ri debet. Si tollis hanc fiduciam, tollis omnem inter ho-
mines coniunctionem, fine qua humanum genus subsiste-
re non potest. Optime hoc declarat Cic. *Lib. 3. offic.* inqui-
ens: *Si sicerimus affecti, ut proper suum quisque emolumen-
tum spoliat aut violet alterum, dirupi necesse est, eam que ma-
xime est secundum naturam humani generis societatem.* In
quo autem fiducia talis potissimum confixat eleganter ex-
pressit Imperator Antoninus *Lib. 3. de se ipso ad se ipsum §. 4.*
his

A

*Fide constat
societas hu-
mana.*

his verbis : Meminit cognatum rationale esse omne & naturae rationem esse ab unoquoque exigere ut hominum quorumuis cum
ram habeat.

*Quæ tamen
hodie rara sunt.*

Causa eius.

§. II. Verum quamvis hæc æternæ veritatis sint, & expressius adhuc in sacris literis declarata, ita tamen corruptum est humanum genus, ita Christiani ipsi affecti sunt, vt sicuti medio in die Philosopherus quondam accenso lumine se homines querere asserebat, ita hoc eo magis de fide inter homines afferendum sit. Neque ratio huius assertionis in obscuro est, cum fundamentum fidei, probitas & vera pietas, fere exulet, & quisque ita affectus sit, vt sua tantum commoda querat, suis indulget cordis concupiscentiis ; vno verbo : fidem in ore non in corde habent. Imo & ipsi Gentiles agnouerunt, inde defectum fidei inter homines dependere. Quo pertinet assertum Ciceronis Lib. 2. de offic. inquietis : *Iustus & fidis hominibus, i. e. bonis ita fides habetur, vt nulla sit in his fraudis iniuria que suspicio & paulo post: quo quis versutior & callidior est, hoc iniurior & suspectior, detracta opinione probitatis.* Et hoc ipsum quoque elegantissima Cyri oratio extrema confirmat, vbi inter alia ita differit : *Deos pertimescite, vt nihil impii nihil nefarii vel committatur vel deliberetur.* Post Deos uniuersam hominum nationem, que perpetua successione continuatur, reveremini. Nam Dii vos caligine quadam non tegunt, sed actiones vestras semper in omnium mortalium luce versari necesse est, que si puræ secretaque ab iniustitia paruerint, potentes vos inter homines uniuersos reddent : si aliquid alter in alterum iniurie cogitaueritis, apud omnes homines fidem amittetis, nam nemo poterit vobis amplius credere, tametsi magnopere cupiat, si videat adisci illum iniuria qui sit amicitiae iure coniunctissimus.

§. III.

§. III. Imo non tantum in communi vita, sed impri-
mis, vbi ius reddendum est, fides rerum gestarum omne
fert punctum. Hanc enim ni feceris iudici per legitimas
probationes, quae fidem operantur, statim in promptu est
ICti assertum in L. 30. ff. de testam. tutel. *Tibi non deficit ius,*
sed probatio; quo & pertinet vulgatum illud: *actore non*
probanter h. e. fidem non faciente, absolvitur reus. Quic-
quid ad probandum adducitur, debet esse fide dignum.
Testibus non creditur, nisi sint fide digni & contra quos
ad minuendam eorum fidem nihil potest opponi L. 14. C.
de contr. & committ. Stip. L. 18. C. L. 3. ff. de Testib. Ordin. Crim.
Carol. art. 30. Meu. p. 4. dec. 155. Ill. Dn. Stryk. de iur. sens.
disp. I. c. 4. n. 31. Instrumenta debent esse fide digna, t. t. ff.
& C. de fide instrum.

Fides maxime
necessaria in
iudiciis.

§. IV. Cum itaque adeo necessaria sit fides in vita
communi pariter ac in iudiciis, ast in plerisque hominibus
non inueniatur, cuperunt homines sibi in iuicem iuramen-
ta deferre, atque ita conscientiam alterius eo arctius strin-
gere, vt hoc vinculo a perfidia abstrahantur; cum expres-
se Deum vt vindicem inuicent in casu si fidem in iuramen-
to datam refellerint. Et haec causa est quare iuramenta
etiam in ipsa iudicia introducta fuerint, & ad veritatem
eruendam pro corrupto hominum statu fere necessaria
sint. Nota enim satis est peruersa hominum praxis, qua
non obligari se existimant ad veritatem in iudicio dicen-
dam, nisi iuramenti religione constringantur.

Perfidia homi-
num cauam
dedit iura-
mentis.

§. V. Ita autem crevit quidem multitudo iuramen-
torum in iudicio, sed finis in deferendis iis intentus nihil
ominus rarissime obtinetur, partim quod ob nimiam mul-
titudinem vilescant, partim quod adeo depravata & cor-
rupta sit hominum natura, vt, vero timore dei destituti,
non

Abusus circa
iuramenta iu-
dicialia.

4

CAP. I. DE CAVSIS INVSTITIAE

non erubescant summa leuitate praestare iuramenta, contra omnem fidem & conscientiam.

Occasio. huius
scriptoris.

§. VI. Cum itaque nihil magis necessarium sit, quam eo mentem dirigere, qua possit ratione hic insignis iuramentorum abusus euitari, &c., de eo quod iniustum est, circa iuramenta extra iudiciale, iam speciali dissertatione egerit Dn. Praes., constitui apud animum meum in praesenti dissertatione de eo quod iniustum est circa iuramenta iudiciale paulo accuratius dispicere. Quod ut omnino facit ad sanctificationem nominis ditini, & ad auertenda ipius seuera iudicia, quae profanatione Sanctissimi illius nominis in rempt. trahuntur, ita nulli dubitamus fore ut haec benevolus lector aequo animo accipiat.

Regula gene-
rales ad cog-
no scendum id
quod iustum
est circa iura-
menta iudicia-
lia praenit-
tuntur.

Prima Regula

§. VII. Ut autem circa iniustitiam iuramentorum excutiendam rite versemur, ante omnia quedam principia, ab omnibus communiter agnita, in medium sunt producenda, Explicit iam Dn. Praes. in citata Diff. de eo quod iniustum est circa iur. extra iud. c. i. quantenus secundum mentem Salvatoris nostri iuramenta in iudicibus, haud absolute sint prohibita sed potius, pro statu rerum publ. nostrarum, & corrupti generis humani, tolerari debeant. Interim tamen simul breuiter in §. 20. d. c. i. ostendit, toties demum iuramentum iudiciale esse iustum quoties grauitas negotii id exigit, ita ut sine eo lis plane dicidi baud posse. Agnoscent communiter Dd. hanc regulam, dum docent, iuramentum non esse probationem ordinariam sed subsidiariam Carpz. p. i. C. 16. def. 11. n. 10. Franzk. Lib. 2^o Ref. 14. n. 29. atque adeo non deferendum eidem esse, nisi necessitate vel graui utilitate id exigente Setser. de iuram. Lib. 1. c. 18. n. 7. seqq. Ethoc intuiu recte dicitur, quod sit optimum expediendarum litium remedium atque ita non reiiciendum L. 1. L. 5. ff. de iurei. Mev. p. 1. decif. 78. n. 9. Ventura

tura de Valentiis in Partben. litig. Lib. 2. c. 13. §. 21. Quando enim aliæ probationes in promptu sunt, minus necessarium est iuramentum, imo iniustum & sic a iudice haud admissendum Meu. p. 5. decif. 281. Et licet ita quoque eundem operetur finem & effectum, quod litem dirimat, tamen cum præter necessitatem delatum vel præstitum sit, manet nihilominus ipsum medium dirimens litem improbum, & doctrinæ Salvatoris nostri aduersum. E contrario cum casus existere possint, vbi omnis alia probatio deficit, ita ut aliter, quam iureiurando interposito, haud possit lis decidi, merito tunc iudex delationem admittit & iuramentum approbat. Praeterea ex hoc fundamento recte deducitur, integrum esse debere ei, cui iuramentum defertur, an illud præstare, an vero legitima probatio conscientiam suam exonerare velit, das Gewissen mit Beweis vertreten; quamdui enim integra est probatio, iniquum foret, compellere aliquem ad iuramentum, quod euitari potest, & necessitatem non habet. Adeoque merito id iuraturo indulgendum, etiam si iussus iurare probationem ante sententiam sibi non referuauerit, nec ea per sententiam ei expresse fuerit permissa. Berlich. p. 1. concl. 33. n. 9. Carpz. p. 1. c. 12. decif. 14. n. 5. Nicol. in process. p. 1. c. 43. n. 5. quamvis communiter reseruari probatio soleat hac formula: Es wolte den Beklagter den deserirten End Klägern referiren / oder sein Gewissen mit Beweis vertreten/ damit würde er billig gehörret. Ex eodem fundamento quoque fluit, quod iuramento delato, licet regulariter reuocari amplius nequeat vbi semel suscepsum est, Meu. p. 2. dec. 93. id tamen merito deferenti indulgendum, ob superuenientes nouas probationes L. n. C. dreb. cred. Vmmissus ad process. disp. 14. Concl. II. n. 65. Meu. p. 4. dec. 296. n. 3. Solicitus enim magis iudex esse debet

bet, vt per iurium præcaueatur, quam vt deinde coercetur. Idem *ibid. n. 6.* Sine dubio autem metuendum esset per iurium a iurare iusso, si deferens probationes contrarias offerre vellet. Verum prætero nunc alias conclusiones, cum in thesi hoc principium non adeo a Dd. in dubium vocetur.

De aliis regulis, remissive.

Alia subiicitur

§. VIII. Sed & reliquæ regulæ in *dict. Disputatione* fundamenti loco positæ huc quoque repetendæ sunt, secundum quas abusus iuramentorum judicialium examinari queunt. Hisce vero hanc addendam esse existimo, *omnino iudici in iuramentis judicialibus eo allaborandum esse, ut omnia media & requisita in prestatione earum adhibeantur, per que iuramentorum auctoritas & religio possit integra & illibata conseruari vel ut Carpz. p. 1. C. 35. def. 1. n. 1. ait, in ore omnium est, eam semper tenendam esse opinionem, que iuramenti religionem integrum conseruat.* Quod si enim iuramentorum auctoritas inter homines euilescit, effectum suum quoque necessario perdunt h. e. fidem amplius facere non possunt; ex quo fit, vt hi qui ius dicere deberent, ius minime dicant, oppressis non succurrant, & alia permulta facinora committi patientur. Prudenter enim Cicero. *Lib. 3. de off. iudicavit nullum vinculum ad stringendam fidem Romanos artius iure iurando esse voluisse, esse fidem tanquam pignus & arrha que omnis iustitia fundamentum est.* Grot. *de iure Bell. & Pac.* lib. 2. c. 13. n. 1. Setser. *de iuram. in prefat. n. 3.* quod si itaque iudex, cui fides per probationes facienda, non diligenter attendat, vt iuramentorum auctoritas & fides salua constet, certe officio suo haud satis facit, imo ius peruerit, seque ipsum iniustitiae obnoxium reddit, licet sub specie iuris omnia peragat. Et hoc intuitu credendum est, maiores nostros iuramentis addidisse tot solennia ritusque externos, vt eo maiorem & efficaciorem

vim

vim in conscientiis iurantium operarentur, cum plerique magis moueantur illis, quæ in sensu incurruunt, quam vera rerum virtute.

§. IX. Quod si nunc secundum has duas regulas iuramenta iudicialia examinamus, heu quanta seges iniustitiae quotidie in praxi occurrit? Personant iudicia iuramentis, imo & periuriis, quæ tamen possent evitari, si sua iuramentis autoritas & religio maiori studio conservaretur. Plerique hominum hoc nequissimo seculo iuramenta haud magis curant, quam antiqua & ruinosa domus fūsum Henric. Goedd. *conf. 87. n. 27.* Matth. Coler. *i. dec. 15. n. 10.* imo vix uno obulo aestimant, sed iis ludunt ut pueri astragalis, vt loquar cum Ventura de Valentis *in parthen. litig. lib. i. c. 15. n. 34.* quasi res minimi praējudicij esset, iuramentum præstare, aut ita illis ludere. Evidem iuramenti præstatio imprimis internam iurantis respicit conscientiam, de qua haud semper potest iudex iudicare, quin potius in dubio illud, prout iura id postulant, admittere debet. Verum si tantum haec iniustitia in occulto lateret, merito iudices essent excusandi: sed cum plures aliae causæ in promptu sint, quæ abusum iuramentorum aperte fovent & nutrunt, facto tamen iudicis & possent & deberent tolli & prohiberi, merito eatenus culpa redundat in ipsos iudices negligentes; cum & qui prohibere facta illicta possent & deberet, & non facit, culpare reus sit. Sed & saepe leges non satis prudenter hic latae reprehenduntur, quibus malevoli suam malitiam purgare possunt. Videamus ergo fontes, ex quibus totabus iuramentorum connuentia iudicum & legum proueniunt.

§. X. Primus mali huius fons querendus est in eo quod cum plerique homines nimis faciles sint ad iurandum vel iuramentum deferendum, iuramenta talia statim indulgeantur abs-

Autoritas iuramentorum
in praxi fere
nulla est

saepè culpa iudicis.

Prima causa
abusus, quod
iuramenta sine
necessitate ad-
mittantur.

absque ulteriori disquisitione, utrum præter necessitatem presentur nec ne? Ettamen in L. Quæ sub conditione 8. pr. ff. de condit. insit. afferitur, prætorem consultissime interuenire debere h. e. adhibito sufficienti consilio, cum plures homines faciles sint ad iurandum contumelie religionis conf. L. 3. in pr. ff. de iurei. Et quamvis Carpz. p. 1. Const. 12. def. 34. hoc intuitu in toto Imperio Romano Germanico receptum esse dicat, vt nullum iuramentum in iudicio præstetur, nisi interloquente iudice, hæc tamen interlocutoria rarius ex deliberato procedit iudicio, nec iudex semper exacte ponderat circumstantias, an admitti possit iuramentum nec ne? sed plerumque decernitur iuramenti præstatio, ex qua promis ea licentia iuramentorum non potest non autoritas eorum vilescere. Nam si, inquit Petr. Gregr. lib. 50. synt. iur. vniu. c. 6. n. ii. iurandi licentia in ciuitate dabitur, vbi ptura ad indices deferuntur cotidie, omnes pene periuri erunt.

Obiectio remouetur.

§. XI. Si dicis, atqui iudex non potest iuramentum reprobare, quod delatum, si alter illud fuscipere parat; Respondeo, illud concedi absolute non posse, quin potius hic pertinet monitum Meuui p. s. dec. 47. n. 3. in iuramentis admittendis iudicem circumspectum esse deberet, nec illud admittere, nisi super iis, quæ verosimilia sunt, & vbi recte iuraturum credit. Verum circa hanc circumspectionem iudices sæpe vel inepti deprehenduntur, vel minus religiosi. Hi propter prauitatem mentis non habent rationem eorum qui iuramenta deferunt vel præstant, sed absque ulteriori disquisitione iuramenta admittunt, & quia ipsi metu religiosi haud sunt, non sollicite curant, vt religio iuramentorum salua sit & incolumis. Illi ob mentis hebetudinem iudicare nequeunt, an non iuramenti præstatio euitari possit nec ne? quippe ad quod dijudicandum limato opus est iudicio. Illud interim non

ne-

CIRCA IVRAMENTA IVDICIALIA.

nego, semper iudicem non posse accurate praeuidere & di-
iudicare, vtrum iuramentum necessarium sit nec ne? Ve-
rum cum saepe ex post factio constare possit de malitia eius,
qui sibi voluit iurari, cum satis certus esset de intentione
alterius, leges hic deberent iudicem armare, ut in eius-
modi temerarios possit pro merito statuere, & quidni sta-
tuerent, si modo poenas temere litigantium hic sedulo ad-
hiberent.

§. XII. Secunda causa priori quodammodo cohæ-
ret, quod scilicet absque delectu quilibet ad iuramentum admit-
tatur, nec disquiratur sufficienter an iure iussus sit suspectus de
periurio nec ne? Communiter dicunt, quemlibet præsumi
bonum donec contrarium probetur. Verum sicuti hoc
admitti potest, quando quaestio est de delictis, quo casu
præsumptio dicitur esse delicti exclusiva, ita huc parum apte
resertur, vbi imprimis internæ bonitatis ratio esset haben-
da. Reprobamus testem, si causa, de qua testimonium
perhibere debet, ad eum vel directo vel per indirectum
spectat; quidni suspectus videri facilius possit, qui consti-
tuitur testis in propria causa Carpz. p. 1. C. 23. def. 3. n. 6. Hic
itaque iurare iussi mores & integritas vitae exacte a iudice
esset ponderanda, ne temere ad iuramentum admittere-
tur, id quod tamen raro fieri experientia docet. Bene
Chrysostomus homil. 7. ad popul. Antioch. bominem, inquit,
fide dignum facit non iuramentum, sed vita testimonium & con-
versationis integritas. Et quamuis vel maxime pars alteri
detulisset iuramentum, tamen cum, ut §. X. dictum est,
iudex sententia interlocutoria delationem demum confir-
met & quidem causa cognita, sine dubio ex officio inqui-
rere debebit, an is, cui iuramentum delatum, sit persona
fide digna, an vero suspecta de periurio, quod ex morum
qualitate iudicandum. Cum vero huius rei diiudicatio

Secunda cau-
sa, quod quili-
ber ad iuran-
dum indistin-
cte admitta-
tur.

exinde dependeat, quod iudici mores iurare iussi haud incogniti sint, plerumque rarius illa ideo in praxin deduci potest, vel, quod iudex ipse nimis timidus sit in repellendo eo a præstatione iuramenti ob probabilem periuiri suspicione, vel, quod iudici haud sint cogniti mores eorum quibus iuramenta deferuntur quod plerumque tum accidit, cum a collegio extraneo sententia interlocutoria de præstanto iuramento fertur.

Refutatur Di-
castillo.

S. XIII. Sed hic in contrarias partes abiit Ioannes de Dicastro, unus e societate Iesu, in Tr. de iurament. diff. 2. dub. 13. vbi satis audacter ita statuit: *Licitum est iudici cogere subditum, ut iuret, etiam si mouerit peccatum, quod omnes factentur saltē esse verum, quando iudex ad instantiam partis iuramentum exigit: tamen (quicquid alii reclamant) etiam vera est assertio quando, licet pars non instet, iudex ex officio, legge ad id obligante, tenetur ad petendum iuramentum.* Horrida sane haec sententia Autoris est, sed non adeo huic homini inconueniens, cum tota philosophia Iesuitarum ita corrupta & depravata sit, vt non possint sanæ sententiae inde sperari, vt optime ad oculum ostendit tribus tomis Autor Gallus in Tract. quem inscribit *la morale des Iesuites.* Consideremus tamen eius rationes, quarum prima est, quia non petitur nec intenditur periuiri, sed iuramentum, quod altera licite petet & emittere; altera est, quia in utroque casu iudex habet legitimam causam exigendi iuramentum, quod inservit scientie publice, quam iudex tenetur sequi, ut satisfaciat suomunerii legitimusque sit processus. Vnde, pergit, neque directe neque indirecte cooperatur, sed tantum utitur iuramento alterius; etiam si cum peccato iuret. Sed absurditas harum rationum satis aperta est, vt vltiori refutatione non indigeat. Quamuis enim forsitan directo iudex non intendat periuiri, tamen per indirectum id intendit, dum nouit alter-

rum peieraturum esse. Deinde non sufficit iudicem habere legitimam causam exigendi iuramentum, nisi etiam ita comparatum sit, vt ei possit fidem facere, qua destituitur, si periurium metuendum. Non enim aliter iuramentum est medium subsidiarium probandi, nisi possit idem præstare quod probatio alia h. e. fidem operari. Neque facile quisquam afferet, iudicis officium esse, atere peccata, nutrire periuria, alioquin enim officium eius degeneraret in maleficium. Præstantior est philosophia Augustini, quam refert Gratianus *in c.s. C. 22. q. 5.* vbi ait, *Ille qui hominem prouocat ad iurationem & sic eum falsum iuraturum, vincit homicidam; quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas & eius, quem iurare prouocauit, & suam.* Sicuti autem tota philosophia scholasticorum solam fere utilitatem mensuram iustitiae habet, ita prædictus autor hoc quoque tunc maxime locum habere vult, si ex periurio alterius aliquam possit trahere utilitatem & commodum *veluti ad illius fraudes detegendas & fidem ei detrahendam, ut sic iniuriam enadat vel ius suum obtineat & in hoc casu id licitum esse arbitratur.* Sed o misera philosophiam! an ita alterius peccato vtendum in nostrum commodum? an facto nostro proximus in peccatum detrudendus, vt aliquid inde lucremur? Et sane mire torquet mentem & verba Augustini, dum vult (1) eum intelligendum esse de priuato, non de iudice, qui habet causam exigendi iuramentum, quam ille non habet (2) de casu si absque causa legitima, sperati scil. lucri id fiat. Verum nec iudici plus licebit, quod ei, qui iuramentum deserit, non licitum est, & in totum destruitur mens Augustini, si altera limitatio turpis subaudienda esset, quia ita sub hoc prætextu semper se excusare posset, qui admisit scienter de periurio suspectum.

B 2

§. XIV.

Irem Glossator
inr. Sax.

§. XIV. Eandem fere cantilenam cum Ioanne de Dicastillo ingeminat Glossator Saxonius in *Not. ad Landrecht lib. 2. art. 1. verb. Schweren / vbi ita:* Ob der Richter einen gestattet sich seines Rechtens zu gebrauchen/ als um eine Sache zu schweren / indem sündiget er auch nicht/ ob er gleich wusste / daß eines unrecht schwire: Denn das Rechte läßt ihm alsdenn schweren und nicht der Richter / sitemahle kein Richter nach seiner selbst Wissenschaft sondern nach dem Einbringen und Beweisung der Parthenen richten soll. Verum admodum leues rursus haec rationes sunt , leges enim non absolute iuramenta in iungunt, sed multum arbitrio circumspetū iudicis hic committunt, secundum quod aestimare debeat, an & quatenus iniurandum praestari debeat. Neque obstat quod iudex non ex propria scientia debeat iudicare, sed ex actis & probatis, nam nec hoc absolute verum est in casu si acta probata sint contra propriam iudicis notitiam, sed potius tunc neutrum facere debet vid. *Dn. Stryk. de obsequio iudic. infer. c. 3. n. ii. Zieg. de offi. iud. concil. 35.* Imo male hoc ipsum huc applicatur, quia hic non agitur de iudicio secundum acta probata, sed adhuc probanda, vbi iudicis arbitrium interuenire debet, an hoc vel illud medium ad probandum satis idoneum sic nec ne? Merito itaque hic locum habet illud Pontificis in *C. liberos 13. X. de resept. spoliat. quidquid fit contra conscientiam, adiscat ad gebenam, & in c. 3. X. de cobabit. cleric. & mul. prohibetur abiuratio concubinarum ob metum perjurii, & alia media suggeruntur.* Sic & in *c. 16. C. 2. q. 5.* tales compurgatores esse adhibendos iniungitur, quos scimus se nolle peierare & in *c. 15. ibid. ita statuitur: Nobilis homo vel ingenuus, si in synodo accusetur & negauerit, si eum confiterit fidem effe h.e. haud suspectum de perjurio, cum duodecim ingenuis, se expurgat.*

CIRCA IVRAMENTA IUDICIALIA.

get: si antea deprehensus fuerit in furto, aut periurio, aut falso testimonio ad iuramentum non admittatur conf. c. i. X. de purgo. Canon. quamvis vero ibidem subiungatur, quod feruente aqua vel candenti ferro se expurgare debeat, tamen id postea iure Canonico sequere prohibitum t. t. X. de vulgari purgat: conf. Setsler de iuram. lib. 3. c. 3. n. 58. Meu. p. 5. dec. 47. n. 4. Roman. III. conf. 142. Hillig. ad Donell. lib. 24. c. 19. Balduin. de cas. conscient. lib. 2. c. 9. cas. 5. Georg. König in append. cas. conf. cas. 5.

§. XV. Pro confirmando autem sententia nostra notandum, in iuramentis necessariis a judice deferendis hoc omnino attendendum esse, ut plurimum Dd. indulgere Menoch. de A. I. qu. lib. 2. cas. 264. n. 12. sgg. Berlich. p. 1. concl. 39. n. 69. sgg. Myns. I. obs. 68. n. 3. Struu. Exerc. 17. §. 53. Verum nulla ratio appetet, cur idem quoque non sit admittendum & attendendum in aliis iuramentis, quæ partium voluntate deferuntur. Licet enim alter hic in iuramentum consentiat, tamen iudicis est iudicare an alteri quoque iuramentum recte & secure deferri potuerit.

Confirmatur
nostra senten-
tia alio argu-
mente.

§. XVI. Hæc vero quæ hactenus de iuramento judiciali diximus, quod hoc quando periurium metuitur admittere iudex non debeat, necessariam merentur restrictionem, ut tum saltem locum habeant, quando certo vel probabilissime constat alterum pejuraturum, & alia ratio euadendi, veritate inque eruendi, adhuc superest. Quod si ergo non satis fundatus sit metus periurii, neque alias modus dirimendi item superfit, actor vero perficit in delatione iuramenti, tum excusatur iudex, si prævia feria, non superficiaria yr communiter fit, admonitione de vitando periurio rem iuraturi conscientiae commiserit. Actori vero remonstrandum est, vt illo casu, quo videt alterum certo iuraturum esse, & quidem cum summo

Restringitur

periculo periurii, ei potius iuramentum remittat, quam ut mordicus suo iuri insitiat. Ad quod si adduci se non patiatur, nec reus iuraturus bonam fidem agnoscere vellet, ligatae in iudicii manus sunt, sed liberata conscientia.

*Quis sit suscep-
ctus de periurio
110.*

[1] qui semel
periurauit.

Limitatio.

§. XVII. Cum vero plerumque in hypothesi dubium esse soleat, quis pro suspecto de periurio sit habendus, solent a Doctoribus quedam hanc in rem in medium produci, quae tamen haud semper sufficere videntur, ut suus iuramentorum nitor saluus in iudiciis maneat. Sic (1) hoc referunt eos, qui semel scienter peierarunt, Berlich. cit. l. n. 69. Menoch. cit. l. n. 17. sicuti enim hi numquam in testimonium contra alios suscipiuntur, quomodo pro se testimonium dicerent c. quicunq. 18. C. 6. qu. 1. qui semel peieratus fuit, dicitur in c. 14. C. 22. qu. 5. nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa vel alterius iuratus existat. Limitant tamen hoc, nisi iam a periurio absolutus fuerit, quod peccator post peractam poenitentiam non amplius dicatur peccator. Afflict. dec. 36. Menoch. cit. l. n. 20. & quod regula, qui semel malus semper presumatur talis, cesset post resipiscientiam. Verum hic caute procedendum arbitror. Doctores allegati loquuntur de poenitentia satis insulsa Pontificiorum, ubi post satisfactionem, ut loquuntur, & poenam praestitam sequitur absolutionis, ob quodlibet delictum regulariter. Hanc autem satisfactionem etiam quilibet hypocrita facile praestare potest v. c. eleemosynas dare, peregrinationes ad limina divi Petri & Pauli instituere &c. Cum vero nostris in ecclesiis magis respiciendum sit ad cordis & totius animi mutationem, ut praesumtio periurii corrue possit, plerumque autem nostri ministri ecclesiae quoslibet admittant ad confessionem, & absolutionem promiscue indulgent, certe putare in foro non audiendum esse, qui solo hoc se pur-

purgare a suspicione hac vellet, quod absolutionem impre-
trauerit & Sacramento usus sit, quin potius fructus poeni-
tentiae & vitae emendatae essent perpendendi & exami-
nandi.

§. XVIII. Deinde huc referunt, si quis ad iurandum [2] Qui ad in-
facilius est, Berlich cit. l. n. 71. quoniam ad iuramentum non
debet quemquam spontanea voluntas inducere, sed necessitas tra-
bere importuna, ut dicit Pontifex in C. Etsi Christus 26. X. de
iure iur. & in fine dicti textus additur haec ratio: ex frequen-
ti & incauta iuratione per iurium saepe contingit, sicut in ecclesi-
astico legitur, vir multum iurans replebitur iniuritate & non
disceder a domo eius plaga. Reuera enim qui facile ad iu-
randum profiliunt, religionem iuramenti plerumque parui-
ducunt, vnde etiam alias suspectus haberi solet, qui se ipsum
ad iurandum offert. Et tamen hodie huius circumstantiae
non magna haberi solet ratio. Infames meritopro suspe- [3] Infamer.
ctis habentur. c. 17. C. 6. q. 1. Plot. de in Lit. iurand. §. 49.
quod etiam in genere de vilibus verum est. Berlich. c. l. n. [4] viles:
67. Setser. de iuram. lib. 4. c. 12. n. 27. Menoch. cit. l. n. 12. seq.
nam & in testibus attenditur an sint viles nec ne L. 3. pr. ff.
de testibus multo magis ergo in iurato. Verum quinam Quinam viles
sint viles, rursus difficile determinatu est. Plerumque di- finit.
gnitatis & diuitiarum respectus distinguit viles ab honesti-
oribus, qui tamen, si non pro vilibus habendi quoad sta-
tum, saepe quoad animum pro vilissimis habendi. Atque
adeo dum ex hoc solo honestas iudicatur, non potest aliter
fieri, quin infinita periuria committantur. Dum enim
nequissimi semel gradum dignitatis per fraudes adepti
sunt, iam statim pro se habent presumptionem honestatis,
suspicionis periurii, secundum vulgatas opiniones Dd. ex-
clusuam. E contrario, qui fortunae iniuria & durissimo
paupertatis telo premuntur, saepe opinione hominum pro
viles-

vilissimis & abiectissimis habentur, licet integerrima mente prædicti sint. Potius itaque ad mores & vitam ante actam esset respiciendum. Sic recte ex hoc inferunt visurarium a iuramento excludendum esse, cum enim totus avaritia trahatur, quodlibet iuramentum ad captandum lucrum faciliter præstabit Menoch. *cit. l. n. 13. Carpz. p. 1. C. 23. def. 7. Berlich. cit. l. n. 67.* Ex eodem fundamento iudæum admittere nolant contra Christianum, quod tamen Menoch. *cit. l.* tantum intelligit de iudeo visurariam prauitatem exercente contra Christianos; quia sic ob fœnus illicitum suspectus est. At plerique hoc in genere de iudæis accipiunt, ideo quod iudæi tanquam viles & sublestæ fidei homines contra Christianum testimonium perhibere non possint *L. 20. C. de Heret. L. 21. C. ibid.* quia odio Christianos prosequuntur Surd. *Concl. 112. n. 35. Zogl. de iurib. iudeor. c. 5. §. 12. Setser. de iuram. Lib. 4. c. 12. n. 32. Seraphin. de priuilei. iuram. priuilei. 122. n. 6.* Verum in Camera id non attendi notat Myns. *Cent. 5. obs. 6.* Nec hoc adeo rationi contrarium esse existimo, cum iudæi qua tales ex odio tantum Christianorum erga eosdem pro abiectione habeantur; eadem integritas saepè in illis deprehenditur, quæ inter Christianos adesse creditur, quin quod eosdem non raro integritate vincere soleant. Vnde cum iudæis iuramentum purgatorium delatum esset, & dubium incideret, an iudæus ad hoc posset admitti, pro affirmatiua responsu ab illustri Facultate Iuridia Hallensi Mensi Decembri Anno 1705.

An spurius sit
suspectus de
potiorio,

§. XIX. Cum etiam plerique tantum respexerint ad opinionem hominum de horum vel illorum vita integra dubium illud inde enatum est, an Spurii possint admitti ad iuramentum suppletorium. Qui id negarunt, duetū imprimis fuerunt illa ratione, quod inter famas vel maculatos

culatos imo abiectos reputandi atque suspecti de periurio videantur Caccialupus *in L. admonendi 31. ff. de iure. n. 156.* Hippol. de Marfil, *in L. 20. de question. n. 52.* Verum licet negari haud possit spurious inter homines pro abiectis vulgo haberit h. e. inter eos, qui rem non ex vero estimant sed ex vulgi opinione tamen falsum est, quod pro infamibus habeantur, nec haec sinistra opinio quam legitimo nati de illis habent, fidem eorum minuere aut integratatem vitae, si quam habent, tollere potest. Nasci ex stupro vel adulterio non est culpa eius qui natus est, sed qui tales procreauit. Ergo pater potius esset arcendus, non partus illegitimus aut adulterinus, nisi præterea defectu integratatis vitae laboret, prout recte concludunt Berlich. *p. 1. concl. 39. n. 68.* Menoch. *de A. I. q. cas. 464. n. 17.* Setfer. *de iuram. lib. 4. c. 12. n. 36.*

S. XX. Patet ex iis, quæ hactenus dicta sunt, haec omnia quæ a Dd. requiruntur, ut quis pro suspecto habeatur, partim vero fundameto non nisi, partim non sufficere. Verum quæ sit hac in parte sententia nostra, ex illis quæ iam dicta sunt, satis liquet, scilicet vnicce hic respiciendum esse ad mores & vitam iuraturi. Quod si enim de huius improbitate & impietate constet, quis quæso credet eius conscientiæ tuto aliquid committi posse, qui conscientiæ suæ non aduersum credit DEVUM omni tempore & omni occasione, offendere, qui illum DEVUM non timet, quem nunc vt vindicem inuocat. Verum fateor, applicationem huius sententiæ difficultiam forte esse, ni enim iudex ipse integer vita & inculpabilis inueniatur, quod proh dolor ! saepè deficit, non erit sperandum vilium legitimum examen circa mores vitam & integratatem eius, qui iuramentum præstare debet. Imo iudex nunquam, quos in se probat mores, illos in aliis improbabit. Cum itaque haec accusata inquisitio in mores iuraturi plerunque negligatur,

C

Vnde constare
recte debeat,
de suspicione
periurii.

Difficilis eius
praxis.

nec

nec etiam possit semper hodie examen institui, cum vt plurimum collegia extera super iuramentorum præstatio-ne iudicare soleant, hinc rursus caufa apparet, cur iuramenta iudiciaia nostris in foris sua virtute & vero effectu destituantur.

Tertia caufa
eft, quod iu-
dex fit negli-
gens in vindic-
candis periuriis.

§. XXI. Quamuis itaque non semper hoc modo euitari possint periuria, non deficerent tamen alia media conseruandi autoritatem iuramentorum, si iudices non deefeffent suo officio. Hinc tertiam causam, quod tot iniustitia circa iuramenta iudiciaia fe exerant, in eo consti-tuo, quod iudex negligens fit in vindicandis periuriis & mendacis. Quodsi enim feueriffime in periuros animaduerteretur, pro vt decebat, religio certe iuramentorum non ita euilesceret. Quæ autem caufa tantæ negligentie fit, non adeo in obscurō est. Placuit multis illa peruersa opiniō ac si periuria penis iudiciaib⁹ haud subiacerent, qua posita sententia, frustranea & inutilis omnis effet inquisitio in periuria. Decepit autem plerosque *L. 2. C. de reb. cred.* vbi dicitur, quod *periuria satis Deum ultorem habeant*, quoniam eius quasi laſa effet maiestas. Hinc Constantinus Hermonopol, *in promtuar. iur. Ciuit. lib. 1. tit. de iure iur.* satis audacter ait: *Si per principem peieratum fit, principem ipsum vindicem effe* (*respxit ad L. si duo ff. §. f. iure iur.*) *Si per Deum, ipsum Deum.* Quasi scilicet impunita effe debeat inter homines Regis regum violata autoritas, & solummodo vindicari principis laſa maiestas. Mirum vero non est, quod tam negligentes sint iudices in vindicandis periuriis, quoniam animaduerterunt ipsum Carpzouium, quem praxis vt plurimum sequitur, in hac fuisse sententia ac si iure Romano periuria deberent effe impunita. vide eius *Pr. Crim. p. 1. q. 46.* Licet enim vel maxime in fine adiiciat, receptum effe hodie, vt aliqua poena periuri afficiantur, tamen

tamen hanc praxin ita frigide recenset, & per ius Romanum contrariam sententiam stabilire conatur, vt, si omnia accurata perpendantur trutina, constet, eum potius per iuria impunita esse voluisse, quia forsan animaduertit, id raro in praxi obseruari, quod de praxi ipsa asserit.

§. XXII. Fundat autem Carpzouius totam suam sententiam *in cit. l. 2. C. derub. cred.* vbi d. qu. 40. n. 24. statum controversiae format, & declarat, Legem citatam agere de iuramento iudiciali, comprobante id rubrica dicti tituli, neque ratione hoc rescriptum destitui; *Satis namque, inquit, constat nihil aliud esse per iurium, quam contemptam iuris iurandi religionem, religionis autem contemptus ad Deum solum pertinet, cuius nomen & numen maiestasque eius eo facto vel maxime lreditur, si parum religiose iuriurandum seruetur, cuius ipse Deus aut testis aut iudex inuocatus est; Merito igitur pena eius permittenda est solum Dei iudicio, nec opus illa alia animadversione humana in Diuino iudicio, quod per se satis graue & intolerabile reo futurum est.* Desino addere reliqua, quae parum ponderis habent. Enimuero licet vel maxime hæc Alexandri Imp. mens, quam præ se fert Carpzouius, genuina esset, attamen rationes Carpzouianæ pro defendenda illa parum stringerent. Non nego in periurio occurtere contemptam religionem iuriurandi, sed illud vtique falsum est, quod periurium in iuramentis iudicialibus in hoc solo consistat, (quamuis etiam hoc suppositum falsum sit, illud delictum, quod solum Deum concernit, in hac vita puniendum non esse, cum & blasphemia puniatur, & recte;) nam semper concurrit læsio tertii, & iudiciorum violatio, imo euersio totius processus. Cum enim in litibus iudicialibus semper sit concertatio de re aliqua dubia & iuramentum ad veritatem iudici faciendam eo nomine saepe adhibetur, non potest aliter fieri, quam vt peierans

Carpzouii sententia, periuria poenis non subiacere, refutatur.

decipiat iudicem, cui fidem facere debebat, auferat alteri ius, quod persequi omni iure poterat, faciatque denique ut iuramentum non sit medium illud, ad quod a legibus est destinatum. Restringitur enim temeritas litigantium per iuriurandi religionem, si ergo periuria deberent esse impunita, leges praefituto carerent effectu. Imo cum interficit Reipubl. vt lites abbrevientur, haec intentio non obtineretur, si periuria essent impunita, quod optime declarat Dn. Stryk. *Diss. de abbreviand. process. per pœnam mendacij.* Cum itaque in periuria non occurrat tantum iniuria in ipsum DEVm commissa, sed præterea euidentissime quoque coniunctam habeat iniuriam in ipsum proximum, iudicem, Leges, & totam rem publ. certe tota Carpzouii ratiocinatio tam imbecillis est, vt non satis mirari possim, eundem haud veritum fuisse talia proferre.

Resoluuntur
reliqua dubia
& nostra fen-
tentia confir-
matur.

§. XXIII. Neque vero existimo, Alexandrum Imperatorem omnem periuris remittere voluisse pœnam. Optime enim Vulteius in §. II. §. de action. n. 2. admonet, nullam esse consequentiam huius asserti: *periurium satis Deum vltorem habet, ergo legibus ciuilibus nullam meretur pœnam.* Quis enim negaret, etiam reliqua crima satis DEVm vltorem habere, quæ tamen propterea non eximuntur vinculis pœnarum ciuilium. Et certe periuria fuisse punita de iure Ciuli, clarissime patet ex L. 22. ff. de dolo malo, vbi dicitur: *sufficit pœna periurii;* & quamvis Carpzouius loc. cit. n. 30. regerat, hunc textum de alia haud esse intelligendum pœna, quam cuius mentio iniicitur in L. 2. C. de reb. credit. id tamen gratis dicitur, nec vlla ratione probatur; cum constet, quoties in iure humano mentione pœnæ iniicitur, id potius intelligendum esse de pœna humana, cum in iure Ciuli haud disponatur de pœnis Divinis, quæ ad iurisprudentiam haud spectant. Imo si lex ante-

antecedens conferatur, appareat ICTum, ibi decidisse hanc quæstionem, *vrum standum sit rei indicata & probato per iurio*, & hoc affirmat, interim tamen addit periurium puniendum esse. Hoc facile concesserim, poenam certam generalem periuris in iure Romano non fuisse statutam, sed arbitriam ut plurimum fuisse. Aliquando tamen certa determinata fuit poena, ut in L. si quis maior 41. C. de transact. vbi poena infamiae statuitur eis, qui iuratam transactionem violare ausi fuerunt. Et fallitur rursus Carpzouius cit. l. n. 33. dum existimat, hanc infamiae poenam non tam ob periurium quam violatam fidem statutam esse, haec enim interpretatio si vera esset, non tantum frangentes actionem iuratam, sed in genere omnes, qui non iuratam quoque transactionem impugnant, infamia coercendi essent, quod tamen falsum est; nam in omni dolosa laesione transactionis concurrevit fidei violatio. Et hanc sententiam quoque tuentur Menoch. de A. I. quest. cas. 319. Setser. de Iuram. lib. 2. c. 27. n. 12. Dn. Stryk. de abbrev. process. per pœn. mendac. §. 33. Borcholt. de iure iur. c. 8. n. 51. seqq.

§. XXIV. Alii præterea, ut nunc aliam huius versæ praxeos addam rationem, hac ducuntur opinione, ac si ad iudicis officium non adeo pertinaret, inquirere proprio motu in periuria, eaque vindicare, præsertim eum. Prætici ut plurimum asserant, mendaciorum pœnas non esse receptas, quo ipso factum ut & periuria manere soleant impunita, de quo grauiter conqueritur Dn. Stryk. tum in prefat. ad tract. Paciani de probatum in. diff. de abbrev. process. per pœnam mendac. Sed audiamus B. Brunnen. in process. in quif. c. 5. §. 5. vbi ad seriem decalogi recenset crimina, qua licet satis atrocia sint, tamen negliguntur; hic autem Secundo inquit, in precepto occurrit (1) Blasphemia, de qua interdum sed rarius inquisitiones institu-

Aliud dubium
remonetur.

tas fuisse scio (2) periuria (3) maledicta per sacramenta saluatoris, per eius vulnera, per tonitrua, fulmina, grandines, imo per hostem generis humani ipsum, malignum Spiritum. Quis super his inquirit? Nemo. Impure hec crimina horrenda graffantur; forte hec levia iudicantur? Sed is omnem rationem exuisse videtur, qui hec levia iudicauerit. Deus ergo, quia inquirere nolumus, inquirit, & poenas exigit ab iis, qui hec crimina impetrant, & qui hoc graffari permittunt, aut qui non omnibus modis impediunt. Haec tenus Brunnemannus, addamus huic locum pariter egregium Dn. Stryk, ex prefat. eius ad Paciani tract. de probat, ubi ita differit: postquam in mores abiit, impunita esse mendacia, iuramenta adhibere necessum fuit. Sed cum & hic in iudiciis peieretur sapissime, ut superius ostensum est in allegatis ex iuramento calumniae articulis, quid tandem remedii inter ipsos Christianos remanebit, pro purgandis iudiciis a tot periuriis & mendaciis, & remouenda a prouineis nostris diuina vindicta, que ipsis imminet ob publicam illam peierandi & mentiendi impunitatem? Prouoco enim ad omnes iudiciorum moderatores & assessores, an unquam audiuerint vel obseruarint exemplum puniti mendacii, vel periurii, a reo, contra conscientiam actoris intentionem negante, commissi, potius fatebuntur, omnes mendaciorum poenas, ab ipsis gentilibus ICTis, qui solo rationis lumine duci hoc crimen auerterebantur, in pandectis statutas, moribus abrogatas esse.

Summa dictorum.

§. XXV. Quod itaque hodie tam infinita iuramenta exigantur, deferantur, praestentur, & referantur in iudiciis, id vere vnicē ex hac impunitate periuriorum deducendum est, quo ipso non potest non religiosa iuramentorum veneratio & autoritas in totum corruere. Si scirent litigantes, se, ubi de periurio essent conuicti, grauissimas subituros poenas, sane vel timore poenae abferrerentur a iuramentis, si non metu numinis, quo pauci

pauci ducuntur, abstinerent. Sed cum hæc omnia impunita esse videant, cum iudices in puniendis periuriis admodum negligentes & quasi dormientes videant, prompti sunt ad iurandum, modo lucrum inde sperent, parum pensi habentes, an Deus inde lædatur, quo cum, secundum peruersam hominum opinionem, facile se posse redire in gratiam, temere arbitrantur. Sed ita iudices sua negligentia præbent occasionem ad infinita periuria, finem iuramentorum euerrunt, imo infinitis fraudibus & & imposturis manus quasi præbent. Grauiter itaque Dn. Stryk, *in citat. prefat. ad Tract. Pacian.* de probat. hanc reductionem poenarum vrget. Reducenda sunt, inquit, *ad obseruantiam fori mendaciorum pœnæ*, & si quis contra prestatum ius iurandum calunnia & friuole quid negauerit, de quo ex progressu litis facilis negotio constare potest, severissime in ipsum, utpote periuriareum, animaduertendum, adiccta etiam fama macula. Ita veritas non amplius friuole reticebitur, iudiciis sua restituetur autoritas, nec presentia diuini Numinis, exactissimi cordium nostrorum scrutatoris, per mendacia in iudicio inuercundate eructata, despiciatur habebitur, ius suum cuique sine probationum ambagibus tribuetur &c.

§. XXVI. Quarta causa, quod autoritas iuramentorum in iudiciis hodiernis fere collapsa sit, merito in eo ponenda, quod in multis locis receptum sit, *admittere procuratorem ad prestationem iuramenti in animam principalis*. Iam alii grauiter hunc abusum notarunt, & quanta inde quotidie periuria committantur, obseruarunt, quo imprimis reperi debet tractatus Iusti Oldekop, *de iuramento in alterius animam*, cui se postea opposuit Gerhardus Feltmannus in *tr. de iure iurando in alterius animam contra clariss. Ictum iustum Oldekop*. Si in originem huius peruersæ praxeos inquirimus. sine dubio potissimum illa iuri Canonico est accepta féranda

Quarta causa
quod admittantur iuramenta in alterius animam.

renda, uti satis constat ex c. vlt. de iuram, column. in 6. & c. f. de procur. in 6. vi quorun textuum iuramentum quodlibet per procuratorem, ad id speciale mandatum habentem, admitti posse, censem Rauchbar. quæst. iur. ciu. p. 1. qu. 8. n. 11. Matth. Coler. p. 1. Dec.. n. 15. n. 2. vt itaque qui hoc defendant ab obiectionibus se liberent, distinguere solent, inter procuratorem proprie & inpropre datum, per illum aiunt non posse personalissima tractari, nec per consequens iuramentum in alterius animam admittendum, & huc putant respicere rationes: Aliud autem esse aiunt in procuratore inpropre dicto qui non tam procurator quam nuncius est, & nudum organum, per quod vox vnius immediate transit ad alium, sicuti per canalem transit aqua, & per hunc iuramentum praestari, essentiæ iuramenti non repugnare volunt Seraphin. de Seraphin de priu. iuram. priu. III. n. 8. Esbach, in Carpz. p. 1. c. 12. def. 39. n. 7. qui & hoc argumentum adducit, quod per talenm procuratorem inpropre dictum etiam matrimonium contrahatur.

De denditur
Oldekoppis
ralia iuramen-
ta non admit-
tens

Eius ratio pri-
ma

§. XXVII. Ut itaque constet, quid veritatis in hac controuersia latitet, notandum est, non tam hic quæstionem esse, vtrum naturæ & essentiæ iuramenti repugnet, praestare iuramentum per procuratorem in principali animam, sed etiam hoc potissimum, an finis & effectus iuramentorum eo ipso satis obtineatur & religio iuramentorum sit salua & illibata? Id quod cum Oldekoppio merito in dubium voco. Nam (1) recte Oldek. n. 18. sqq. censet, iuramenti præstationis actum non obiter & perfunctorie esse considerandum, sed ex imo cordis affectu, animaque composita cum summa denotione, in dei faciem prodeundum; ast procurator hæc leuiter & perfunctorie facit, parum rationem alterius conscientiae habens, absens autem licet sciat, procuratorem in suam ani-

man

mam præstare iuramentum, tamen hoc ipso non ita viu-de commouetur, vt si ipse præsens esset, verba ipsa ore nuncuparet, & cetera solennia obseruaret. Cum enim plerique illis, quæ in sensu externos incurruunt, commo-veantur, potissimum tot solennia externa introducta esse supra euictum est, quæ omnia in hoc casu elusoria sunt, si per alium iuramentum præstatur. Hæc autem ita seſe habent, si vel maxime cum Esbachio aliisque distinguis in proprie & improprie dictum procuratorem. Quid ve-ro ad hæc Feltmannus? ait, præsentiam personæ fruſtra ad hoc requiri, cum dœvs vbiq[ue] sit & sic vbiq[ue] possit inuocari, neque deinde credendum esse, adeo quem-quam salutis suæ immemorem futurum, esse vt ad vim iu-ramenti non aduertat, imo fatis præsentem eum esse cum animo præsens sit. Sed hæc & alia, quæ referre nunc non opus est, nimis aliena sunt a vero iuramenti scopo. Non dicimus quod, qui per procuratorem iurat, in con-scientia intuitu dei non sit obligatus æque ac si ipse præſti-tisset iuramentum, sed illud tantum, homines plerum-que talia iuramenta negligere solere, nec tam commoueri quam quidem si ipsi præſentes adſent. Quam plurimi sane in iudiciis periurium committere intendunt, sed in conspectu iudicis positi, vbi grauiſſime & efficacissime de periurio vitando admonentur, & erigere digitos iubentur, adeo terrore quodam diuino haud raro perculti sunt, vt deſterint a iuramenti præſtatione, qualia exempla non ignota sunt. Tale quid autem non est sperandum ab eo qui per procuratorem iurat, sed si semel mente periurium committere destinauit, nihil adeo occurrit, quod eum possit reuocare. Misere antem Feltmannus p. 77. n. 33. D hoc applicat locum Matth. VI. 6. vbi Christus adhortatur discipulos, vt in occulto orient; nam præterquam quod argumen-

argumentum ab oratione ad iuramentum in vniuersum non procedat, sane iuramentum secundum hodiernam eius formam, de qua quæstio est, præstandum est solenniter, erectis digitis, mediante ausfatione, neque hic, vtiam sæpe dictum, quæstio est de efficacia iuramenti intuitu DEI, quam agnoscimus, nam & respectu eius vel sola mente iurari potest, sed an æque in iudiciis scopus ita obtineatur, si procurator admittatur, quod nego, quin potius credo infinita per iuria eo ipso committi oportere.

Ratio secunda

§. XXVIII. Porro (2) suspectum quodammodo se reddit, quippe in persona iuramentum præstare recusat Oldekop, *cit. l. n. 26.* aut enim absens, aut præsens est. Si *præsens*, cur iuramentum subire detrectat in persona? Ideo neam rationem afferre nequit; si *absens*, expediret iudici loci committere actum recipiendi iuramentum ab eo cui iuramentum præstandum incumbit, ad quæ omnia Feltmann, *cap. 2. n. 1. seqq.* non responderet, sed Auditorum tantum allegatorum examinat mentem. Quicquid vero illi sentiant, ratio hæc satis concludit. In *n. 64.* Oldekopp ostendit (3) nullo iure fundatum esse hoc iusurandum, pro qua sententia etiam plerarumque gentium mores in subsidium adducit. Ego quidem id negare non ausim, moribus depravatis gentium, imo ipsius Germaniæ, quos proinde hic improbo, hoc receptum esse, vt procurator admitti possit, sed de eo nunc quæstio est, an hi mores probandi sint, maxime in iudicialibus; nam de his negotiis nunc mihi vnicce sermo est. Neque propterea facere possum cum Oldekoppio qui *n. 312.* ius Cononicum haud suffragari sententiae contrariae existimat, recte proinde notatus a Feltmanno *in c. 5. n. 34. seqq.* nam decisio in *in c. f. de iuram Calumn. in 6.* satis clara est, nec secundum Oldekoppii sententiam potest intelligi de iuramento a procuratore

Tertia ratio

curatore in propriam animam præstito, nam ita quæstio pontifici oblata fuisset Domitiana. Sed id nunc in quæstione est, an ius Canonicum ita satis bene egerit & prospexit integritati iudiciorum. Certe constat plerosque abusus iudiciorum promanasse ex iure Canonico.

§. XXIX. Porro (4) Oldekop. n. 66. argumentum desumit a testibus, quod sicuti testis non possit admitti per procuratorem, ita nec qui aliud iuramentum præstare debet, quia testis sit in propria causa. Ad hoc respondet Feltmannus c. 6. n. 3. seqq. rationem hanc diuersitatis hic subesse, quod testes ipsimet sint examinandi de variis circumstantiis, de quibus procurator haud possit esse instrutus, que ratio cessaret in eo, qui aliud iuramentum præstare deberet, vbi formula iurandi satis antea nota. Sed egregia fallacia! Quæstio non est de examine testimoniis, hoc enim sine dubio subire debent, sed de iuramento testimoniis antecedente examiné, hoc in persona iudicis præstare debent, neque hoc negat Feltmannus. Pergit Oldekop. n. 67. plerumque fieri solere, ut ex iurantis vultu & titubatione iudex per iurium aut peierandi procluem voluntatem animaduertere ac iurantem dehortari possit; quod satis, meo iudicio, opportune dictum putauerim. Neque enim, quod Feltm. c. 6. n. 8. regerit, hoc euertere potest, quod hæc ratio tunc quoque obtinere deberet, si coram iudice loci, in quo degit absens, hoc iuramentum præstandum sit; nam hoc vtique obtinere debet, si alias iudex illius loci conscientia sua & officio satis facere velit, cum ei incumbat in casu grauissimarum suspicionum, grauissimas præmittere admonitiones de periurio vitando, vbi ad minimum citius tale iuramentum suam obtinebit integratatem, ac quidem per procuratorem præstitum. Præterea recte Oldekop. n. 72. hic adiicit, quod multi litigantium

Quarta

tium in re tam ardua sibi ipsiſ ſiauiter adulentur, pei-
rare per procuratorem non eſſe grande nefas, ſed veniale
peccatum, quod Feltmann. cit. l. n. 22. negare non po-
tuit, ſed tantum ait, propter errorem priuatorem ius pu-
blicum tolli non debere: Imo vero hoc ipſum eſt, quod
nunc adſtruimus, quod propter tam impia plurimorum
principia ius publicum non fit mutandum, cum ſalus pu-
blica ſuprema lex eſſe debeat, imo omni modo præcauen-
dum, vt ſuus iuramentis reſtituatur nitor priſtinus &
ſanctiſima autoritas, Reliqua quæ Oldekoppius fuſius in
ſeq. adducit, potiſſimum eo tendunt, quod iudex ita an-
ſam præbeat ad infinita periuria, quæ omni modo præca-
venda eſſent, & quod hominum malitia e nimium indul-
geatur; quæ ita aperta ſunt, vt vteriori deduſtione haud
indigeant, nec quæ Feltmannus vteriori regerit multam in-
digent refutationem.

Comprobatur
ſententia no-
ſtra vſu fori

§. XXX. Concluſio inde, ad abuſus iudiciorum
referendum eſſe, quod tale iuramentum admittamus,
quemadmodum etiam in plurimis iudiciis hoc bene atten-
tum eſſe reperio. Certe praxis Saxonica non admittit
Procuratorem Carpz. p. l. C. 12. def. 39. vbi n. 7. hanc adiun-
gitrationem, magis ſolliciti ſunt de ſalute anima litigantes ipſi,
iurantes in propria persona, nec tam facile adlitigandum pro-
ſiliunt, quam ſi per procuratorem admitterentur, haud conſi-
derantes procuratorem quidem eorum nomine iurare, ſed non eo-
rum nomine deſcendere in Gebennam Idem receptum in or-
din. process. Magdeb. nou. vbi c. 29. §. 8. deſerte diutur: Es
ſoll aber keiner anſtat eines andern/ wañ er gleich ein Spe-
cial mandat hätte / zur Endes leistung vor Gerichte zu-
gelaffen werden; Aliorum locorum mores refert Martin.
in processu Saxon. tit. 18. §. 10. n. 1. ſeqq. conf. Ventura de Va-
lent. in Partben. litig. lib. 2. c. 7. n. 12. Hinc recte Lauterba-
chius

chius tract. *Synopt. de iuram.* §. 1. n. 5. optime illos cum conscientiis tum reipubl. consulere existimat, qui vel legibus vel consiliis eo tendunt, ut iuramenta, maxime judicialia, in propria persona praestentur. Eandem sententiam fouisse videtur Brunnem. in proc. Civil. c. 15. n. 7. inquieris: Optandum esset, ut ius Civile in usum reduceretur in L. 2. §. 3. ff. de iurei. ut partes ipsa in loco iudicij vel domicilii prestare iubeantur hoc iuramentum, quia iuramentum est quid personalissimum & Dn. Stryk. in Not. ad ius Eccl. Brunnem. lib. 3. c. 5. §. 15. Consultius esset, ut penitus omittentur talia iuramenta, cum non unusquisque pari religione & conscientia per alium veritatem depositurus sit, quam si in persona, seuere admonitus, iurare teneatur. conf. Schwendendorff. in Not. ad proces. Fibig. P. 1. c. 2. m. 3. §. 5. n. 107. Berlich. p. 1. decis. 117.

§. XXXI. Tandem etiam tot abusuum circa iuramenta judicialia possit esse ratio, quod in praxi plurimis in locis tam stricte sequamur vestigia iuris Canonici, & vulgo nobis persuadeamus, quasi ius Canonicum in doctrina iuramentorum rectius consulat conscientiis, ac quidem ius Ciuile. Vnde factum, ut practici vnamimiter ad ius Canonicum tanquam sacram anchoram confugerint. Quemadmodum vero iam Dn. Præl. in disp. de eo quod iniust. est circa iuramenta extrajudicialia c. 2. §. 17. ostendit iniustitiam tot iuramentorum extrajudicialium iuri Canonico acceptam ferendam, ita circa judicialia iuramenta plura introduxit, quæ vero iuramentorum scopo aduersantur, sicuti iam hoc in §. anteced. exemplo iuramentorum per procuratorem praestari solitorum est declaratum, hinc plura hic non addo, sed reliqua ad sequens Caput speciale remitto.

Quinta causa
quod nimis
strictè sequan-
tur ius Ca-
non.

CAP. II.

DE

EO QVOD INIVSTVM EST CIRCA SPECIALIA
IVRAMENTA IUDICIALIA.

Connexio &
preparatio
ad sequentia.

Postquam generaliter varias causas, easque principaliores, tot abusuum circa iuramenta iudicialia *capite anteced.* enucleauimus, ordo exigit nunc specialius, in singulis speciebus iuramentorum iudicialium, defectus & næuos annotare, qui partim lege publica & praxi forensi confirmati sunt, atque ita iudici non adeo imputari possunt; partim ex manifesto errore pragmaticorum demum inualuere, & inde a prudente & probo iudice merito euitari debent. In *illis* iudex sequi legem, quamvis inuitus, debet, dum non arbiter, sed minister legis est. *L. prospexit 12. §. 1. ff. qui § a quib. manum.* paratestamen, ne huiusmodi iniustitiae causam suam committant, & sub prætextu iuris contra DEVUM & conscientiam peccent, sedulo admonere debet, si iudicis Christiani & pii officio fungi velit. In *bis* autem obtinebit decisio *L. 37. ff. de LL.* quod non ratione, sed primum errore, introducium, deinde consuetudine obseruatum, in aliis similibus non obtinere debet.

Iuramenta
iudicialia de-
bent esse so-
lennia.

§. II. Quemadmodum vero omne iuramentum est vel *solenne* vel minus *solenne*, ita potissimum ad iuramenta iudicialia, vt effectum habeant, requiritur, vt sint *solennia* & consuetis verborum formulis concepta. Hæc vero solennitas iuramentorum potissimum in duobus consistit (1) in conceptione verborum solennium (2) in ritibus aliis externis, pro grauitate negotii, super quo iuratur, multiplicandis vel restringendis, qui omnes tamen ad essentiam iura-

iuramentorum per se non pertinent, sed ex causis iustis a Legislatore sunt superadditi. Neque heri aut nudiis tertius demum talia solennia inualuerunt, sed iam ab antiquissimis temporibus apud Ethnicos, in primis Aegyptios, in usu fuerunt; hac imprimis ratione introducta, ut eo maiori religione homines ad dicendam veritatem adducerentur, cum plures, qui sensum numinis internum depo- fuerunt, ad hanc externis, quæ sensus feriunt, allicantur, ut inter mortuam de Deo cognitionem in se exsuscitent, & ita promptius veritatem dicant, conf. Setser. *de iuram. lib. 1. c. 15.* Facile itaque exinde apparet, tunc demum solennia inter Christianos introducta fuisse, vbi pietas plane exulavit, & fraudibus omnia repleta fuere, quo ipso tamen non potuere non plures abusus simul sequi, vt nunc quidem videbimus.

§. III. Sic primo statim se prodit mysterium iniquitatis circa conceptionem formulae iuramenti, quæ consueta & solennis ordinarie hæc esse solet: *so wahr mir Gott helfe / alicubi additur: durch sein Evangelium / vel, und sein Evangelium vel, und sein heiliges Wort.* Iam quidem non inficias eo, iudicem prudenter, imo re- etius agere, si a consueta formula non recedat, nisi ratio religionis cui iuraturus addictus est, aliud postulet; Interim tamen iam videndum est de effectu civili talis iuramenti veri quidem, sed non solennis, quod iam reapse praestitum est. Possunt itaque duo casus hic supponi; vel enim aliquid in iudicio sub formula non consueta promisum est, vel aliquid assertum, veluti per formulam *Bey dem Worte der ewigen Wahrheit:* primo casu quaestio existit, an talis obligatio iudicialiter facta subsistat, altero vero, an iuramento tali fides habenda, an vero de novo sub formula consueta praestandum. *De vtroque casu separatum agendum.*

Iniquitas cir-
ca formulam
iuramenti,

*Starus contro-
versie*

§. IV.

An iuramen-
tum judiciale
bey dem Wort
der ewigen
Wahrheit in-
efficax sit

§. IV. Ad priorem quæstionem spectat solennis ille casus de vxore pro marito intercedente & iurato in iudicio Authenticæ *Si qua mulier C. ad Sct. Vell.* renunciante, quod quidem in Saxonia ordinarie iudicialiter fieri debet, adeo ut si extra locum iudicij, in domo iudicis, talis renunciatione facta fuerit, pro inualida in Saxonia reputetur, teste Carpz. p. 2. c. 16. def. 18. quod secus de iure communi, vbi iurata quidem, sed non iudicalis, renunciatione requiritur. Hahn. *ad Wesenb. tit. ad Sct. Vellei. n. 9.* Greu. lib. 2. concl. 77. n. 7. Hinc quæstio oritur, an renunciatione iudicalis facta sub formula, bey dem Worte der ewigen Wahrheit / hoc casu efficax sit nec ne ? Inefficacem existimat hanc renunciationem Carpz. p. 2. C. 16. def. 6. ex ea ratione, quod haec verba solennis & corporalis iuramenti vim non habeant, sed deum illa, quæ in formula iurandi in imperio Romano usurpari solent, *id. ibid. n. 6.* præsertim tunc, quando pro forma iuramentum solenne requiritur, vti quidem in hac renunciatione *id. n. 14.* quamvis alias extra talem casum vim iuramenti habere possint. Reassumfit eamdem controversiam in p. 2. dec. illust. dec. 199. & n. 11. seqq. sequentes adducit rationes (1) quod hodie in praxi imperii substantiale formam iuramenti innuant verba illa : *als mir Gott helfe und sein heiliges Wort/ quæ proinde per æquipollentiam verba non impleantur, cum forma præscripta ad amissim obseruari debeat.* (2) In iudicio requiri iuramentum verbis conceptis præstitum, pro quo clausula antea allegata bey dem Worte der ewigen Wahrheit haberri non possit, licet absolute sic dictum iuramentum esse possit. (3) duas esse separandas quæstiones. (α) An non mulier iudicaliter hoc modo renuncians in conscientia obligata sit, quod concedit Carpz. & (β) an in foro externo renunciatione talis effectum sortiri debeat, quod negat.

§. V. Ve-

§. V. Verum enim vero quanta iniquitas in hac sententia latitet non admundum obscurum est, atque adeo, si hæc decisio Carpzouii in praxi Saxonica obtinet, quod facile nobis persuademus, cum auctoritas Carpzouii in Saxonia satis magna sit, habemus exemplum luculentissimum iniustitiae, circa iuramenta judicialia committi solitæ. Concedit ipse Carpz. *alleg. def. 6.* solennia verba tantum ad accidentalia & adiaphora referri debere, adeoque iuramentum verum in hoc casu subesse, concedit praeter ea feminam iurantem in conscientia obligari & per iurium committere, si a tali renunciatione recesserit, quomodo ergo absque summa iniquitate afferere potest, hanc renunciationem esse inualidam. Si est inualida, iudex mulierem absoluere debet, & tamen, ex ipsis afferto, rea per iurium fit, atque adeo puniri debebat: quomodo autem punienda est, quæ sententia iudicis tuta est? qui enim sententia nititur, non delinquit. Si instas, Carpzouium in ea esse sententia, quod per iurium non subiaceat penitus humanis, tum regero, itidem hoc falsum esse, uti *in c. prec.* latius contra eum demonstratum est. Annon iudex ita ipse ansam dat per iuriis nimia sua subtilitate, qui autoritatem iuramentorum imprimis conferuare debebat? Et qualis quæso est differentia inter utramque clausulam? Eudem sensum habent, verbis differunt. Neque vero concedendum, ut sub eiusmodi inani prætextu nomen DEI profaneatur, quod leges nec præsumuntur admittere voluisse, nec admittere potuere.

§. VI. Facilis quoque est responsio ad dubia Carpzouiana. Nam quoad primum, hoc certum est, quod invocatio DEI in testem sit substancialis pars iuramenti, sed quibus verborum formulis talis invocatio fieri debeat, illud substancialie iuramenti esse nequit. Sunt solennia iuramen-

E

men-

Iniquitas deo-
fionis Carpzo-
viana.

Respondetur
dubuis Carpzo-
vianis.

mentorum tantum ad hoc a legislatoribus inuenta, vt eo maiori cum reuerentia & religione partes adiuramentum accedant, non vero vt sub hoc clypeo a iuramentis rece-
dant, si quædam solennitas omissa fit; quæ poena nullitatis in legibus nec expressa est, & si expressa eset summa fouveret iniquitatem, quia hoc modo luderetur iuramenti & contra dei voluntatem sanctissimam aliquid statuere-
tur, quod extra humanas positum vires est. Deus vult, vt iuramentum seruetur: atqui iuramentum, siue solen-
ne siue minus solenne fuerit, verum est iuramentum, ergo utrumque seruandum, utrumque a iudice custodien-
dum. Et cum alias iuris Canonici placita in iuramentis in praxi assunere soleamus, quidni etiam in hoc casu idem sequimur? quod huiusmodi decisionem, quam Carpz.
habet, haud admittit arg. c. 28. X. de iure iur. Quoad secun-
dum dubium monendum, quod verbis conceptis iurare designet, vel consueta formula iurare, vel in genere verba adhibere ore nuncupata. Posteriori sensu ratio non obstat; priori itidem non obstat; quamvis enim ordina-
rie consueta formula utendum sit, tamen inde statim non sequitur, iuramentum esse nullum, si paulatim a consue-
ta formula recessum fuerit, vt ex antea dictis colligi potest, modo idem utraque formula denotetur. Tertia ratio plane profana est: si enim illud verum est iuramentum, si alias periurii rea sit femina, profanum & impium etiam est, tali iuramento efficaciam denegare. Quam iniqui-
tatem iam alii quoque dudum agnouerunt, & contrarium calculo suo approbarunt, in primis Sigismund. Finkel-
thaus obs. 116. Meu. p. 1. decis. 146. Rauchbar. p. 1. qu. 2. n. 60. Schurff. conf. 62. n. 14. inf. Richt. p. 1. dec. 69. n. 7. seqq. conf. diff. Dn. Praef. de Iure Princip. circa iuram. c. 1. §. 13.

§. VII.

§. VII. Hac resoluta quæstione, nunc facilius iudicium ferri potest de quæstione secunda, an iuramentum assertorium ob defectum solennium sit reiterandum, veluti, si testes erectis digitis haud iurassent, aut formulam adhibuissent ~~h~~en dem Worte der ewigen Wahheit? Si Carpzouii rationes quidquam valerent, iterandum esset tale iuramentum, & consueta adhibenda solennitas; Sed ita rursus iniquitas hæc sub prætextu inani defectus solennitatis occurreret, & præter necessitatem iuramenta multiplicarentur, contra monita salvatoris nostri. Ita etiam superstitioni ansam damus, quasi valor iuramenti demum consistat in externis ritibus, non vero in ipsa inuocatione nominis Diuini in testem aut vindicem, quod absurdum sorret. Non secus ac si preces ad Dñm fufas inefficaces & inanes dicere vellemus, quod forsan complicatio manuum aut geniculatio secundum ordinationes ecclesiasticas non fuerit adhibita, aut S. cœnæ virtutem negare vellemus, ideo quod forsan minister ecclesiæ signum crucis aut alia solennia omisisset: Eadem absurditas in hoc negotio itidem religioso occurrit, si quis eidem velit effectum denegare ob omnissam solennitatem. Dicis, sed quid si iuramento assertorio alter cui iurandum, non acquiescere velit, in hac præstatione, atque adeo opponat exceptionem iuramenti non rite præstiti? Tum vero respondeo, videndum esse, an eius exceptio fundata sit, quod haçtenus negauimus, alioquin enim malitia eius indulgeretur, quo ipso rursus luderetur cum iuramentis in iudicio.

§. VIII. Sed quod passim Dd. contrarium hic quoque defendant, id sane improbitati seculi adscribendum, vbi plerumque prætextus iuris coaceruantur, & ratio pietatis ac iustitiae internæ, que in eiusmodi materiis potior esse debebat, plane non attenditur. Id enim fere circa

An iuramen-
tum assertori-
um minus fo-
lenne iteran-
dum sic.

Iniquitas ge-
neraliter no-
tatur circa so-
lennia iura-
mentorum in
iudicis.

iuramenta iudicialia evenit, quod quotidie in cultu pubblico eiusque liturgia animaduertimus, & ab antiquis obseruatum est temporibus. Postquam enim pedetentim tantus numerus ceremoniarum & rituum introductus, ut verum cultum Numinis diuini internum fere obscurauerint, plerique hodie pro his ritibus liturgicis saepe acrius pugnant, quam pro ipso cultu interno, qui tamen solus verus cultus est: Sic quoque in iuramentis eadem fata deprehendimus, vbi etiam magis in iudicio de illis consuetis formulis sunt solliciti, quam de interna iuramentorum religione & autoritate; quasi sanctitas iuramentorum, externa illa figura & schemate solenni, absoluueretur. Obiter iam quædam de abuso solemnum circa iuramenta adducta a Dn. Præf. *Diss. de eo quod in inst. circa iuram. extra;* c. 1. §. 27. quod ibidem verbis Setséri illustratum. Hic itaque pauca adhuc specialius hac de re adiiciemus.

Specialiter docetur quid in iustum sit circa solennia iuramentorum iudicialium.

§. IX. Omnes qui, solennia haec defendunt in eo consentiunt, quod meram in se contineant *adiaφογλαν*, nec essentiam iuramentorum constituant, atque adeo mutari possint, & abesse salua sanctitate & vinculo iuramenti, & tantum in hunc finem adhiberi ritus, ut iuratus magis seria mentis intentione iuret, & maiori deuotio ne ad iurandum trahatur. Ceteri qui solennia reprobant, vt Setserus *de iuram lib. 1. c. 15. n. 7.* Donell. *ib. 21, 13.* iniquitatem in eo quaesuerunt, quasi non satis sit per DEVMI iurare, sed etiam talia solennia, nihil religionis in se continetia, accedere debeant. Sed utrobius parum apte, meo iudicio, de hac materia differitur: Solennia ipsa, vt eretio digitorum, tactio euangelii, aliaq; tolerari possunt, nec vllam insè habent iniquitatis notam, quamdiu pro re indifferenti adsumuntur, nec illis vlla aliqua pecularis adscribitur efficacia. Et licet imperfectionis iudicium præbeat, quod

quod homines ritibus eiusmodi externis excitandi sint, has tamen imperfectiones, quam diu homines sunt, & quam diu cum hominibus vivimus, repudiare non possumus. Verum tum ritus illi & solennia externa in vitium abeunt, & ex iniquitate aliquid trahunt, quandovis iuramentorum potissimum ex illis iudicatur & aestimatur, & sic in effectu non tam religio invocationis diuinæ in iudicio attenditur, sed potissima vis ex eiusmodi solennibus aestimatur. Ritus sacri in Liturgia ecclesiastica superstitionis sunt, statim ac homines illis adhaerent & peculiarem vim illis tribuunt, quamuis si indifferenter adhibeantur, non adeo sint reprobandi. Neque aliud dicendum puto de iuramentis. Licet enim non sint peculiaris cultus diuinus, vti quidam somniarunt, sunt tamen negotium aliquod religiosum, & sic itidem superstitioni facile obnoxia, si virtus genuina, quæ vnicè ex invocatione DEI in testem trahi debebat, iis detrahitur, & solennibus applicatur. Verum, instas forte, nos pugnare cum laruis, neque ostendi possè hoc modo in iudicii solennia obseruari & attendi, & maiorem solennibus attribui efficaciam. Sed quorundam tendunt vulgatae Dd. assertiones, quod scilicet quælibet invocatione DEI in testem & vindicem non sufficiat, sed solenne iuramentum requiratur? Quam plurimi hodie & olim omnem vim iuramenti detraxerunt in foro externo, si aliquid ex solennibus defuit, quo ipso aperte profitentur, potissimum virtutem iuramentorum dependere ex solennibus, quin & in iure Romano euidenter maior efficacia solennibus iuramenti adscribitur, quam minus solennibus, vti appareat ex l. 3. C. si minor se maior dixer. & Auth. sacramenta puber. C. si aduersi vend. Neque aliud sentiendum esse autumno, si opponas, hoc tantum quoad effetti ciuiles intelligendum esse, qui ex iuramento minus

solenni denegantur, nam id itidem indicium præbet, fora & iudicia nostra esse superstitionis. Adeoque vel dicendum, regulam illam, *vbi requiritur corporale & solenne iuramentum, minus solenne invalidum est*, esse falsam, vel confitendum, superstitionis esse hodie fora nostra, nec ab iniustitate in hoc passu libera.

An testes iurato examinati coram Notario, denuo in iudicio examinandi & iuramento nouo adstringendi.

§. X. Sed alio exemplo rem declarabimus. Quando testes prævio iuramento examinandi sunt, hoc examen ordinarie instituendum a iudice competente, adeo ut si ab incompetentia fiat, illud valere non dicatur arg. c. 4.X. de iudic. Hiltrop. in proc. iud. p. 3. tit. 9. c. 6. n. 3. sqq. licet vel maxime testes iurato deposuerint Hahn ad Wef. de test. circ. cap. fin. Idem quoque afferunt de testibus iurato examinatis a Notario, non specifice ad hunc actum a iudice requisito. Io. Wolfgang Textor in pr. iudic. p. 1. c. 9. n. 61. Rol. a Valle conf. 94. n. 38. Alex. vol. 2. conf. 212. Carpz. lib. 3. Rep. 87. n. 3. Ruland. de commiss. p. 1. lib. 7. in princ. n. 2. quamvis in processu summario huiusmodi examen non reprobetur. Ex quo fluit, de nouo testes a iudice competente esse obstringendos iuramento & examinandos. Quodsi vero in rationem inquisiueris, quare ita iuramentis luditur & illa multiplicentur, haec a Dd. dari solent (1) quia alias turbantur iurisdictiones. (2) quia non in iudicio debito modo iuramentum præstitum & examen institutum, cum ad iudicem competentem tale examen pertineat. (3) quod tale examen sit suspectum. Verum si iam abstrahamus ab hac circumstantia, & nulla prægnans suspicione causa dari & allegari possit, reuera tota decisio causæ demum hoc credit, deficere in eiusmodi iuramentis solemnitatem quandam externam, dum scil. non in debito loco & coram debita persona præstitum. Et ita rursus deposita veneratione numinis diuini propter solam rationem ciuilis

lem iuramenta inefficacia habentur. Si dicis, deficere tamen interrogatoria, ad quæ itidem testes examinari debuissent, tunc regero, posse adhuc illa suppleri, & nouum examen desuper institui, sed propterea totum examen non esse reuocandum. Interim praxis ita seruat, & iudices ut plurimum *in ordinat. processuum* ad hoc ipsum adstringuntur. Sed defino plura hac dere addere.

§. XI. Ceterum, antequam ad specialia iuramenta accedamus, non incommodum erit, de illis quædam hic notare, qui iuramenta præstare conscientiæ aduersari existimant, vbi potissimum quæstio huic redundant, an ad eorum præstationem cogi possint. Tacta iam est hæc quæstio obiter a Dn. Præf. *disp. de eo quod iniustum est circa iuramenta extra iud. c. i. §. 23.* sed vtletior enucleatio in hunc campum reseruata. Notū videlicet est, quod Anabaptistæ, secundum sectæ suæ principia, plane ab omnibus abhorreant iuramentis, eamq; præstationē contra conscientiam esse existiment, nixi verbis salvatoris, vbi generaliter præstationem iuramentorum Christianis interdictam esse credunt. Quamuis vero, vti a Dn. Præf. *cit. Disp. c. i.* satis probatum, hæc sententia non recipi sed certo casu recte iurari possit, & ita Anabaptistas in hoc quidem errare existimemus, tamen iam vbi semel in hac sententia subsistunt, & ne latum vnguem ab ea recedunt, videndum, quomodo prudens iudex cum eiusmodi hominibus procedere debeat. Certe, si secundum principia plororumq; e nosfratribus iudicandū esse, respondendū, huiusmodi homines sub poena confessi & conuicti, vel aliis modis, ad iuramentum præstandum adigendos esse, nec in eo aliquam latere iniuritatem, cum errantibus nihil sit indulgendum, peccare enim eos, dum iuramenta præstare recusant, ergo non peccare iudicem, qui ab inuitis iuramentum exigit & in

con-

Quid si quis ea
conscientia
teneritate in-
rare iudicali-
ter reculeret.

contamaciā eos tandem condemnat. Verum hic multa dubia mihi superesse lubens fateor. Nos fatemur, eos errare dum iuramenta præstare recusant, sed illi itidem existimant, nos errare, dum iuramenta exigimus & præstamus. Habenus nos rationes ad propugniandam nostram sententiam, nec tamen illi rationibus deftiuuntur, quibus suam firment. Peccarent si contra conscientiam, licet erroneam, iuramentū præstarent, quia in hoc Theologi & moralistæ consentiunt, quod ille qui aliquid contra conscientiā erroneā facit, contra DEVm peccet. Rom. XIV.23. Quomodo vero iudex aliquem adigere potest, ad committendum peccatum? Neq; obstat, quod iudex in adstringendo eundē ad iuramentum hoc non intenderet directo, quoniam nihilominus illud intendit, quod scit in altero necessario peccati involare, dum anabaptistæ semper adhuc iuramentorum præstationem peccatis adscribunt. Et certe magnam inde iniquitatem profluere posse in propositulo est; hoc modo enim impii actores, diuersæ sectæ addicti, temere & calumniosæ item contra eos intentare possent, & nihilominus vitioriam reportare. Nihil enim facilius quam illis deferre iuramentum, quod dum subire detrectant, habentur miseri illi homines pro confessis & conuictis, & ita condemnantur. Neque enim iudex statim ab initio iudicare potest, an temere deferatur iuramentum nec ne, cum delatio iuramentorum pro permisso & lictio in causis ciuilibus habeatur. Si infas, hanc calumniam non præsumendam esse, cum delatores iuramentum calumniae subire debeant, regero, hoc ipso quidem præsumptionem calumniae tolli, sed veritatem ipsam non obtineri. Quam plurimi temere iuramenta præstant, & se ad ea offerunt, notum tamen est, quanta periuria quotidie committantur, impri- mis in iuramentis calumniae, vt mox videbimus. Sed quid

quid consilii in tali ambiguo casu. Non negari potest, ^{consilium?}
 s̄epe Anabaptistas quoque calumniari posse, sub prætextu
 conscientiæ suæ, & quod iuramenta præstare non possint,
 propter fœtæ suæ principia. Vix ergo aliud remedium
 superesse videtur, quam vt ad consuetam eamque apud
 illos sanctissimam formulam *Bey Männer und Wahrschauer*
 h̄it admittantur, & sub hac contestatione veritatem dicere
 iubeantur, quia eadem religione fere illam assueratio-
 nem colunt, qua nostrates iuramentum; hac tamen adie-
 cta comminatione, quod si contra hanc assertionem postea
 rem aliter fese habere apparuerit, grauissimam pœnam
 sustinere debeat. Vel possunt verba æquipollentia, quæ
 tantum formam iuramenti non habent, illis præscribi, vt
 iisdem sententiam suam, sine confusa in iuramentis solen-
 nitate, dicant. Ut plurimum enim homines tantum
 formam, non rem ipsam, reformidant.

§. XII. Evidem non negamus, vtiam supra obiter
 tacitum §. 1. b. Cap. quandoque iudici inferiori hic ligatas
 manus esse, & s̄epe ipsas leges & constitutiones causas es-
 se tot abusuum circa iuramenta judicialia. Quid ergo hic
 faciendum iudici? Respondeo, aut forma iuramenti ex-
 pressæ legibus & constitutionibus præscripta, aut non: *hoc*
casu, poterit ipse iudex ex bono & æquo hac in parte agere,
 quod enim circa negotia judicialia in iure definitum non
 est, hoc arbitrio iudicis concessum; *illo casu*, iudex quidem
 inferior, tanquam minister legum, ab his recedere non
 potest, potest tamen, & tenetur etiam, si conscientiæ suæ
 consulere velit, in casibus, vbi videt durius quædam con-
 stituta esse, & abusum concurrere iuramentorum, vel pe-
 riculum periuri adesse, rem totam referre ad superiorem,
 & ab hoc declarationem vel mitigationem petere, atque
 causam potius eosque differre; cum melius sit retardare

Restitutio sen-
tentiae nostræ.

F

paulu-

paululum negotium, quam periuria, vel profanationem diuini Numinis permettere. Quodsi vero superior nolit a consueto modo recedere, tum iudicem inferiorem, si prius hoc medium adhibuerit, puto in conscientia sua excusatum esse.

De iuramento
calumniæ.

§. XIII. Progrediamur nunc ad specialia. Hic vero in exordio litis statim offendimus *iuramentum calumniæ*, quod a partibus aduocatisque eorum de iure communi præstandum, & ad coercendam temeritatem, vel saltim calumniam litigantium, inuentum est, §. 1. I. de pan. rem. litig. L. 2. §. 8. C. de iur. propter calumn. Setser. de iuram. lib. 3. c. 1. seqq. Optimum sane remedium, si modo defectus & næui circa illud occurrentes emendarentur. Iurant quippe litigantes super tota causa, quod scilicet item, bona opinione duci, suscepint, mendacia non commissuri, nec minus necessariam probationem susceppturi, vel alia ratione item protracturi sint. &c. Vnde hoc remedium tam necessarium esse existimarent non nulli, cum propter publ. utilitatem ad veritatem indagandam & hominum calumniam refrenandam introductum sit, L. 2. §. sed quia C. de iurei. pp. cal. vt, nequidem statuto contrario vel consuetudine illud tolli posse, crediderint Peretz in C. cit. tit. n. 11. Posth. de manut. obs. 81. n. 3. Menoch. lib. 1. de A. I. Q. qu. 20. n. 4. Seraph. de Seraph. de priuil. iurament. priu. 137. n. 3. Verum illud quidem utilissimum remedium coërcendi calumniam esse, nemo in dubium vocabit, si debito modo exerceatur, sed tamen præterea nemo negabit, esse remedium mere ciuale, atque adeo arbitrarium, abrogationi obnoxium conf. Vultei. de indic. lib. 3. c. 2. n. 36. Gail. 1. Obs. 85. Quemadmodum in quibusdam Germaniæ foris, ob frequentiam perjuriorum, abrogatum est,

est, in primis Saxonicis, quam praxin propterea cum Henningio Goeden diabolicam non esse assertendam, ostendit Carpzou. p. 1. *Const. 12. def. 21. n. 3.*

§. XIV. Quod si enim illos, qui de hoc iuramento scripferunt, consulueris, omnes fere querelas mouent de periuriis quotidianis, quae circa hoc iuramentum committi solent; iam suo tempore Baldus in *L. post perfectum 24. C. de euict. n. 1.* de statu fori ita conquestus est: *Istud iuramentum hodie non assimilatur uno obulo, quia facti sumus contemptores religionis eius.* Vnde puto, quod litigatores nostri temporis potius iurent de calumnia committenda, quam vitanda, & ideo melius esset, quod *istud iuramentum ex toto tolleretur a iudicio, causa vitandi tot periuria;* non obstante, quod hoc iuramentum sit inuentum ob publicam utilitatem, tamen *istud parum curant iurantes, argumento illius dicti per poëtam: Quid enim saluis infamia nummis?* Repetithas communes ICtorum querelas B. Brunnem: *ad auth. in isto cum seqq. C. de iurei. propter. calumn. n. 59.* vbi cum utilitatem huius iuramenti ostendisset, tandem subiicit. Sed, o Iustiniane! quam spē tua es frustratus, iam diu conquesti sunt ICtori, hodie potius de committenda quam fugienda calumnia iurari. Eundem fere in sensum loquitur Io. Oldendorp. *c. 1. pro gymn. for. aet. 7.* his verbis: *Habemus nunc iuramentum calumnie, quo periuria magis introducuntur, quam excludatur calumnia:* Sed res adeo nota est, ut plura testimonia congerere superuacuum ducam.

§. XV. Videamus itaque de causis tot periuriorum circa hanc imprimis iuramenti speciem. Scilicet (i) in capite antec. iam demonstravi, autoritatem iuramentorum, imprimis ideo euilesce, quod periuria debito modo non vindicentur & puniantur. In aliis iuramentorum speciebus periuria spē occulta sunt, vt in haec omnia inquire F 2 sem-

Frequentia hic
sunt periuria.

Cause tot per-
iuriorum.

semper non possit. Ast in hoc iuramento ex euentu ordinarie de tot periuriis commissis constat. Iurant litigantes, se interrogatos veritatem dicturos esse, & tamen semper sere & vbique rei litem negatiue contestantur, vt modo auctorem probationibus fatigent, quibus factis, ex euentu plerumque apparet reos mendacium imo periurium commisisse. Iurant, quod probationem nullam superfluam exigere, aut litem retardare velint ; sed ordinarie reorum est fugere, vnde enim litium immortalitas oritur, quam ex reorum procaci & malitiosa fuga & procrastinazione ? Atqui hic iterum manifesta committuntur periuria & quidem impune. Quodsi itaque iudex debito modo autoritatem huius iuramenti conferuaret, & lite principaliter finita inquireret, quis ex litigantibus periurium commisisset, ac periuros grauissime puniret, sine dubio tot periuria non essent metienda. Deinde (2) autoritatem huius iuramenti infringit, quod plerumque in iudiciis admittant procuratores, qui hoc iuramentum praestant in animas principalium, quod quantum autoritati iuramentorum noceat, c.i. fusius expositum est. Imo cum (3) quilibet ad litigandum admittatur, per consequens quoque quilibet, absque delectu, ad iurandum admittitur, cum tamen in impõnendo iuramento ratio personarum haberri deberet, & ita praestaret iuramentum non exigere a suspecto de periurio, quam id passim & absque delectu deferre ; quo tendere videtur Brunnem. ad cit. auth. in fin. conf. Dn. Präf. Dis. de remiss. iuram. column. c.3. His accedit (4) quod in quibusdam iudiciis nimis sero illud exigatur & praestetur. Potissimum per hoc iuramentum praecauendum erat, ne in litis contestatione reus temere negaret, adque adeo necessum fuerat ante litem contestatam illud exigere ; quod si enim post illam demum praestatur,

statur, temerarii litigatores tuto possunt omnia negare, quia credunt, se satis iam tutos esse in conscientia, postquam negatio non demum facienda, sed iam facta est. Et tamen praxis Cameræ ita seruat, vt demum post litem contestatam præstari debeat, adeo, vt si contra factum fuerit, sententia lata non subsistat, neque aliter utrum prætensis nullitatis purgari queat, quam si post litem contestatum reperatur. Vmmissus *in proceſſ. diſſ. 12. n. 5.* Blum. *in proc. Camer. tit. 72. n. 22.* Ex qua praxi haec duo incommoda fluunt (1) quod ita sub inani prætextu ordinis inversi, iuramenta temere multiplicentur, & illis reuera ita ludatur, quasi mera effet ceremonia autres arbitraria. (2) Quod, vt dictum, mendacia per hoc iuramentum non evitentur, & ita potissimum effectus corruat. Evidem Gail. 1. obſ. 35. n. 1. pro defendenda hac praxi afferat rationem, quod hoc iuramentum pertineat ad totam causam, causa autem post litem contestatam demum in iudicium deducta esse censeatur; sed quis non videt hanc rationem congruere quidem cum processus antiqui Romani ratione, vbi iudicij initium dicebatur fieri per litis contestationem, sed a fori nostri principiis plane abhorre, vbi potius citatio initium iudicij constituit. Deinde quoque certum quidem est, quod super rota causa præstetur, sed ita exinde contrarium potius concludendum, quod scilicet non demum post, sed ante litem contestatam, præstari debeat, quoniam alias super tota causa non præstatur, quia litis contestatio potissimum partem totius causæ constituit. Prætereo alios abusus & iniuriantes, quæ hic committi solent, cum de iis a Dn. Praef. Diff. *de remiſſ. iuram column. c. i.* satis abundeque actum sit.

§. XVI. Cum itaque tam infinita circa hanc rem occurrant periuria, & abusus longe maior sit quam eius

F 3

Propter hos
abusus merito
abrogatur
Cal.

vſus

vſus, melius consultiusq; esse existimo, tollere hoc iuramentum, quam malitia hominum porro occasionem dare. Quanquam enim iuramentum hoc in ſe turpe non fit, ſed potius iustum medium cōercendi malitiam litigantium, atque, ſi omnia rite obſeruantur, vſum insignem präſtare poſſet, quia tamen plerique iudices hac in parte quod ſui officii eſt non faciunt, & potius negligentia ſua periuria promouent, hinc utique melius erit plane id iſpum e iudicis tollere, & mendacia tantum gravifime punire, contumaciamque aliis iustis mediis cōercere. Vti in genere notandum, omnia illa, quæ etiam bona & licita ſunt, ſi maior eorum abuſus quam vſus cer- natur, potius prohibenda quam toleranda eſſe.

De iuramentis
dandorum &
respondendo-
rum.

S. XVII. Sed eſt adhuc alia species iuramenti ca-
lumniæ, quod in positionibus occurrere ſolet, *dan-
dorum* ſcilicet & *respondendorum* Meu. p. 3.
dec. 175. ubi itidem non deſunt, quæ iniquitatem prä ſe fer-
re videntur. Ipfas positiones quod concernit, illis, non
tam lex ſcripta, quam longæuus vſus & forenſis praxis,
originem dedit, uti appetet ex Clement. ſape de V. s. Occa-
ſio harum introducendarum & admittendarum fuſſe vi-
detur malitia aduocatorum, qui in lite confeſtanda nun-
quam solebant ſpeciali reſponſione uti, ſed conſueta for-
muла, *nego narrata prout narrantur*, actoris intentioni
contradicere; quo ipſo tamen actori haud conſtabat,
quidnam eſſet negatum aut confeſſum. Erat itaque hæc
generalis formula literam confeſtandi ex dupli ratione mo-
leſtissima (1) quod reuſ ita per indirectum iuramentum
calumniæ circumuenire poſſit, non enim demendacio
conueniri poterat, quia non absolute negauerat, ſed *prout erat narratum*, atque adeo hanc formulam

con-

contumax reus adhibere poterat, si vel vnicam leuissimam circumstantiam negandam crederet. (2) Quod ita actori probatio omnium circumstantiarum in libello propositarum incumberet, cum quid negatum esset, quid concessum, ex litis contestatione non constaret. Contra hanc itaque cautelam alia cautela inuenta est, per positiones specificae a reo exquirendi, quidnam concedendum & quid negandum ei videatur? quibus ab actore iuramentum dandorum subiungebatur, a reo vero iuramentum respondendorum praestandum Brunnem. *in proceſſ. Civil. c. 17. §. 3.* Quamuis vero litis contestatio generalis per R. I. de anno 1654. §. 34. sublata sit, atque inde viſus positionum per se cessare deberet, vt in Saxonia etiam praxis earum nulla est, in multis tamen locis adhuc hodie in viridi sunt obſeruantia, vt pluribus monstrauit Ill. Dn. Stryk. *in viſu mod. ad tit. de interrog. in iure fac. §. 42.* praefertim, cum hodie non vbique, vt in Saxonia, litis contestatio tantisper specifice & ordinate fieri soleat, vt proinde nunc quoque de his iuramentorum speciebus quædam hic sint annotanda.

§. XVIII. Cum itaque hec iuramenta dandorum species iuramenti calumniæ sint, facile apparet, non adeo magnam horum iuramentorum iniudiciis vulgo esse autoritatem, prout quoque de generali iuramento calumniæ dictum, quod etiam animaduerit Dn. Stryk. *in Vſ. mod. cit. loc. §. 58.* qui, *in utroque hoc, inquit, iuramento faciles esse solent aduocati in persuadendis clientibus, hoc iuramentum tantum calumnia esse, & hinc facile praſari posse, cum tamen ex formulis iam adductis appareat, in factis propriis omnino non de credulitate, ſed de veritate iurari, hinc si veritatem hic difficitur reus, aque periurus erit, quam si iuramentum iudiciale falſo profiterit.* Ceterum potissimum iniquitas adesse videtur in hiſce caſibus: (1) Communiter statuant Dd. quod

Abuſus horum
iuramento-
rum variis

vtrum-

vtrumque iuramentum adhuc præstandum sit, licet vel maxime antea ad totam causam iuramentum calumniae præstitum Meu. p. 3. decis. 175. Carpz. p. 1. C. 12. def. 20. infin. Rationem in eo ponunt, quod iuramenta hæc sint tantum iuramentum calumniae speciale, cui omnino adhuc locus esse potest, si vel maxime antea generale præstitum fuerit, vti appareat exemplo deferentis alteri iuramentum iudiciale, qui prius de calumnia iurare debet, licet antea generaliter ad totam iurauerit causam. Quæ sententia, si vera est, vti quidem Dd. communiter eandem affirmant, (vid. Cuiac. ad Nou. 49. Rauchbar. p. 1. qu. II. n. 5. seqq. Lauterb. in Colleg. ff. tit. de iurei. §. 39. Frantzkius ad tit. de iurei. n. 59. seq.) sine dubio non tantum in hac specie, sed in aliis similibus casibus iniquitate laborat. Nam (a) eo ipso ostenditur, iuramentum calumniae generale parum vel nihil operari, aut in iudicio nullius esse autoritatis, quoniam adhuc, vbi suspicionis iusta adest causa, speciale deferri potest, & tamen semel generaliter de calumnia vitanda iuratum est; aut ergo prius erat omittendum, aut posterius tanquam minus necessarium, non imponendum; quia si prius tollit suspicionem calumniae, non amplius potest adesse iusta causa speciale deferendi; si non tollit suspicionem, inane & frustraneum, & ita impium & iniquissimum est. (b) Iuramenta ita præter necessitatem multiplicantur, & bis de re eadem iuratur; quasi præstatio iuramentorum esset mere arbitria, & in libero hominum commercio, vt pro lubitu de illis possint disponere. Applicemus iam hanc rationem ad quæstionem principaliter propositam, & res clara erit. In iuramento calumniae generali quis iurare debet, quod interrogatus veritatem sincere dicturus sit; iam vero in positionibus, & ad illas factis responsionibus, quis ponit illud quod verum esse credit, & alter, quem vul-

go

go ponat vocant, formaliter ad positiones ponentis respondeat. Non ergo amplius illa affirri potest ratio, quare de nouo de eadē re iurari debeat, cum de ea antea iam iuratum fuerit, ut adeo hac in parte praxis ab iniuitate excusari non possit.

§. XIX. Loquor de praxi. Quod si enim ius commune inspexeris, vbi vtrumque iuramentum, & generale & speciale, fundatum est, res sane aliter esse videtur. Unde quæstio principalis huc reddit, an post iuramentum calumniæ generale, ad totam causam præstitum, denuo speciale de iure exigi possit, in illis scilicet casibus, vbi alias, ante introductum iuramentum calumniæ generale, locum obtinuerat, veluti in delatione iuris iurandi L. 34. §. 4. l. 37. ff. de iure iurandi si quis petat editionem instrumentorum L. 7. §. 2. L. 9. §. pen. ff. de edend. Quæ quæstio ut recte decidatur, præmonendum est, iuramentum calumniæ generale ante Iustiniani tempora incognitum fuisse, & tantum obtinuisse iuramentum calumniæ speciale, vbi quis iurat de calumniæ non committenda in speciali illo casu super quo præstitum. At vero illo tempore quidem non adeo incongruum erat, iuramentum tale sæpius etiam exigere, quoties noua calumniæ suspicio apparebat; sed postquam Iustinianus in L. 2. C. de iurei. propter column. iuramentum calumniæ generale introduxit, illudque fere ad omnes illos casus extensem fuit, quibus alias specialiter de calumniæ iurandum erat, non amplius necessarium fuisse videtur iuramentum calumniæ speciale. Sed ne nudis coniecturis duci videar, prouoco ad Non. 49. c. 3. §. 1. atque inde desumptam Auth. Hoc Sacramentum C. de iurei. propt. column. vbi in genere affirmitur, iuramentum speciale hodie remitti, ex illa prægnanti ratione: cum in initio iuret, nibil sequitur calumniose in toto negotio exigere auth. cit. & ita reuera per

An post iuramentum calumniæ generale præstitum, speciale adhuc præstandum fit?

per eodem negotio iuramentum multiplicaretur aut crebro exigeretur, quod itidem abolere voluit Justinianus in *cit. Nou. 49.* Quamuis vero haud pauci sint qui illud ipsum non extendendum, aut generaliter accipendum esse, arbitrantur, cum *d. Nou. 49.* de speciali casu loquatur, adeoque tantum corrigat *L. i. C. de iurei. propter calumn.* tamen ratio dispositionis tam Nouellæ, quam Authenticæ, est generalis, & sic, quod in uno casu, qui sub generali calumniæ iuramento comprehenditur, verum est, idem quoque verum esse debet in omnibus aliis casibus, qui itidem sub illo comprehenduntur. Reuera autem comprehenduntur omnes alii casus, vbi olim speciale obtinuit, quia in illis iurabatur propter suspicionem calumniæ, quæ generaliter exclusa videtur per iuramentum generale, propter dictam Auth. & rationem allegatam. Atque hanc sententiam de iure veram esse, non negat *Carpz. p. l. C. 12. def. 20. n. 5.* concedens tamen, quibusdam specialibus casibus iuramento huic speciali adhuc locum esse posse, puta in iuramenti delatione, editione instrumentorum, literarum comparatione, si quis instrumentum semel probatum falsi arguere velit, & tandem in fine quoque iuramentum dandorum & respondendorum subiungit, quod hoc itidem non possit dici sublatum esse. Alii adhuc plures enarrant casus speciales, vt appareat ex traditis Gofswini ab Esbach *ad Carpz. cit. loc. n. 6.* Sed hac ratione, quod Carpzouius una manu concessit, altera rursum aufert. Neque etiam adducit rationes, cur in illis adductis specialibus casibus præcise iuramentum speciale locum habere debeat, quod non debeat obtinere in aliis casibus. Vnum illum casum de comparatione literarum instituenda, vtique admittit, postquam in *Nou. 73. c. 7.* hoc expresse constitutum lego, atque ita in hoc casu exceptionem agnosco. Sed quid de

de ceteris dicemus? Evidem in delatione iuramenti iudicialis itidem iuramentum calumniæ necessarium putant propter *Nou. Leon. 99.* Sed quis ignorat harum Nouellarum autoritatem apud nos nullam esse? Nihil itaque supereft, quam ut ingenuæ fateamur, ab initio communem plementiam errore esse introductam, paulatim per obseruantiam iudicialem, & tandem ipso iure Canonico, confirmatam per *c. 2. §. f. de iuram. cal. in 6.*

§. XX. Sed satis de hoc abusu. Præterea vero (II) hoc incommodum his iuramentis dandorum & respondendorum cohæret, quod in illis ad periuria facilis fit aditus, quæ nec euitari possunt, postquam vterque iuramentum præstare debet. Evidem si de facto alieno vterque iurat, & sic tantummodo de credulitate partium dissensus adest, sine periurio hoc interdum fieri posset, quod enim alter credit, aduersarius contra recte afférere iurato potest, se tale affertum non credere, cum homines proclives sint ad id credendum & non credendum, quod velillorum causæ fauet vel obest, in quo litigantes inter se concordantes reuera sunt. Ast vbi de facto proprio vtriusque litigantis talia iuramenta præstari debent, prout communiter facta propria concurrunt, alteruter necessario periurii reus fieri debet, quoniam hoc in casu iuramentum tale est vtrinque veritatis *Scaccia Lib. 2. de iudic. c. 9. n. 449.* & quamuis vel maxime rei adhibeant vocem *credo*, vel *non credo*, *Glaube wahr / glaube nicht wahr / hæc tamen itidem in facto proprio veritatis est, Surdus decis. 17. n. 8. seqq.* Evidem non debebat talis assertio per vocem *credo* vel *non credo* hic admitti, cum in factis propriis vtendum sit voce *sage wahr / sage nicht wahr*; verum etiam si quis illa assertione vñus sit, tamen a reatu periuri, qui temere negauit, liberare se non potest. Au-

Raro periuria
euitantur in
hac specie iu-
ramentorum.

diamus B. Brunnem, *de Iure Eccles.* lib. 3. c. 4. §. 3. vbi, post quam inter genera probationum positiones cum iuramento dandorum & respondendorum retulisset, ita de illis suam addit ~~est~~: Valde mibi, inquit, periculosa hac methodus procedendi per positiones visa est, praesertim in matrimonialibus. Nam licet iuramentum calumnia ab utraque parte possit salua conscientia ut plurimum prestari, dum in facto multa sunt dubia & multo maiora in iure. Sed de positionibus, que de facto notabili proprio formantur, aliud dicendum videtur, & alterum omnino peierare necesse est. Declarat id liquido exemplo, ita pergens: Nam si sponsus afferat fidem sibi datam de coniugio, puella neget, in hoc facto notabili & proprio necesse est, si uterque presbet iuramentum, actor quidem dandorum, reavero respondendorum, alterum perjurium committere, quod in calumnia iuramento generali non ita certo presumi potest. At, inquis, sibi imputet pars, quod peiceret, hoc nihil ad indicem pertinet. Sed resp. in aliorum iuramentorum delatione vel approbatione ac prestatione potest probabiliter iudex opinari non committi perjurium, sed hic, vbi inter duo contradictiones est, & quidem de facto proprio, non potest non a iudice presumi perjurium, & qui sciens peiceraturo iuramentum desert, culpa expers non est. Ideoque res aliquam moderationem requireret. Verum hic plerumque solet opponi, ius ita scriptum esse, nec posse iudicem leges latas mutare, aut remedia ordinaria probandi partibus denegare. Ast nullibi leges iudicem adstringunt, vt manifestum perjurium fieri patiatur, quin potius ex traditis in cap. antec. aperte constat, iudicem, ad conseruandam autoritatem iuramentorum judicialium, omnibus modis præcavere debere, ne perjurium committatur; adeoquelicit alias non possit litigantibus viam per positiones procedendi præcludere, tamen illud fine dubio fieri posset, si manifesto constaret, perjurium commissum

Obiectio remouetur.

missum iri. Sed nec desunt alia consilia pro iudice. Ipse Brunnenm. loc. cit. haec fuggerit : *Quid si factio, inquit, tantum generale iuramentum de calumnia praestaret, & quidem tantum sibi videri causam suam iustam, & reus mediante iuramento respondendorum ad singulas positiones iuberetur respondere? nam tunc non possumus adeo certo presumere periurium. Vel posset index ex una vel altera causa remittere iuramentum partibus ad iurandum paratis, sicuti in Facultate aliquoties ob metum periurii suasimus partibus ad iuramentum praestandum paratis, ne ipse iudicij locus periuriis maculetur.*

§. XX. Ut vero vna fidelia duos dealbemus parientes, ad similem casum statim progressum facimus, vbi eodem fere modo alteruter iurantium necessario periurium committere debet, scilicet quando quis aduersario defert iuramentum, & ille conditionem iurandi amplectitur, deferens prius iurare debet de calumnia ex praxi hodierna, de qua plenius Setserus de *iuram. lib. 4. c. 5.* In illo iuramento calumniæ iurare debet, se non animo calumniandi aut temere iuramentum alteri deferre, sed ex necessitate causæ, quoniam forsitan mediis probandi destitutus est. Quodsi nunc rursus supponamus casum, vbi iuramentum litis decisionis praestandum est, de facto litigantium proprio, non potest non alteruter periurium committere. Aut enim deferens calumniose & temere defert iuramentum, & sic hic periurium committit; aut vero recte & optima ratione defert, & sic alter, qui iuramentum principale praestat, periurium committit. Agitur enim de facto inter litigantes celebrato, vbi reuera vterque in effetu de veritate iurat, etiam ille, qui iuramentum calumniæ speciale praestat. Dum enim iurat, se non temere & calumniose iuramentum deferre, simul necessario iurat intentionem suam esse veram, si enim sciret il-

Idem si iur. iudiciale super factio proprio deferatur, & deferens de calumnia iura-
re teneatur.

lam esse falsam, calumniose & temere iuramentum defus-
per deferret. Cum itaque vterque de veritate iuret, &
vero contradictoria non possint simul esse vera, necessa-
rio alteruter periurii reus fieri debet.

Cœfiliū.

§. XXI. Evidem prævideo nonnullos ex praxi
forensi prodeuentes nobis opposituros esse, non sufficere
defectus & næuos annotare, sed etiam necesse esse, vt
via alia commodior ostendatur, qua ratione euitari possit
periurium. Sed respondeo, sicuti cum vterque iurat,
necessario alteruter periurium committere debet, ita contra
si unus tantum iurat, non tam euidens & manifesta est
periurii occasio, adeoque nihil consultius pro iudice,
quam si deferenti remittat iuramentum calumniæ speciale,
& soli iuramento litis decisorio locum faciat. Non qui-
dem deerunt, qui hoc consilium inane esse iudicabunt,
eo quod iudici non permissa sit remissio huius iuramenti,
adeo, vt si de facto remissum sit, sententia sit ipso fure nulla,
quo conspirant Dd. citati a Dn. Præl. *diss. de remiss. iuram.*
calumn. c. 2. n. 3. sed falsum hanc ipsam opinionem esse ibi-
dem *n. 10. seqq.* satis demonstratum, ita vt illa argumenta
hic repetere opus non sit. Vnicum tantum hic placet ad-
ducere textum ex R. I. de anno 1534. §. 43. his verbis remissi-
onem iudici indulgentem: Wenn es entweder die Par-
theyen beg. hret/ und der Richter es darauff kennet / o-
der es auch von selbst/in welcherley Theil des Gerichts/von
Ambtswegen außerleget / ex quibus verbis luce meridia-
na clarius appetet, multum hic arbitrio iudicis relictum
esse, ita vt hic non præcise obstrictus sit ad iuramentum
calumniæ admittendum, si iusta causa subesse videatur,
licet a parte id vel maxime vrgeatur Ill. Dn. Stryk. in *Vſu*
mod. tit. de iurei §. 32. Non autem potest iustior & prægnan-
tior causa subesse, quam si liquidissime appareat, alteru-
trum

trum ex iurare paratis per iurium commissurum esse. Nec obstat, quod prædictus textus primario de iuramento generali calumniae loquatur, nam si vel maxime hoc verum esset, tamen in iuramento calumniae speciali non potest ostendi rationis disparitas, insuper aperte contrarium in cit. textu continetur in verbis: *In welcherley Theil des Gerichts / quæ ostendunt, de vtroque iuramento hic sermonem esse.* Quod autem hodie contrarium in plerisque iudiciis obseruetur, id ex erronea hypothesi fluit, quasi iudex hoc iuramentum remittere non posset, quod tamen falsum est. Atque adeo rursus nouum exemplum iniquitatis occurrit, quod ex errore iuris in praxi obtinet.

§. XXII. Sed transeo ad alias iuramentorum species, inter quas præcipuum est *iuramentum indiciale*, in specie sic dictum, *der Haupt-Eydt / quod super causa controverfa ab eo qui alias probare debuisset, aduersario defertur.* Hic statim occurrit incommoda & non satis tuta praxis, quod delatio iuramenti, modo a persona taliter proueniat, quæ iuramentum de iure deferre possit, indistincte a iudice per sententiam interlocutoriam approbari soleat, ex illa ratione, quod secundum *L. l. ff. desurier vtilitati publicæ hoc conforme sit, vtilites per iuramentum cito expediantur.* Ita fit, vt præter necessitatem saepè iuramenta deferantur, vbi protulisset alio modo de veritate rei constare. Adeoque expediret, si ad minimum iudices paulo penitus in causam delati iuramenti inquirerent, & qui illud deferunt, illam ante expondere iubarentur, hic enim saepè rectius constaret, an iuramentum est temere delatum nec ne? quod egregie prouisum in ordin. Tribun. Wismar. p.e.tit. 34. §. 2. vbi dicitur: *So soll derjenige welcher den Eydt deferiret/ schuldig seyn/ vorher ei nimmermassen dasjenige worüber solcher abzulegen/ glau-*

*In iuramento
delato ille ab-
vius notatur,
quod indif-
fere a iudice de-
latio soleat ap-
probari.*

glaublich zunachen/ oder warumb er hierzu nicht gelan-
können also anzugeigen. Neque hanc præcautionis ne-
cessitatem remouet iuramentum malitiæ antea præstari
solitum, quia, vti supra dictum, illud ex communi per-
versa praxi non adeo magnam habet autoritatem inter li-
tigantes, cum persuadeant sibi partes, aut ab aliis persua-
deantur, talia iuramenta nil nisi meram solennitatem
continere. E contrario si iudex summarie de causis de-
lationis antea cognosceret, temeritas deferendi iuramen-
tum magis sine dubio restringeretur, id quod tamen in
plerisque processuum ordinationibus non requiritur,
quas collegit Martin ad proceß. Saxon. tit. 18. §. 1. n. 33.

§. XXIII. Prout vero illud de quo iurandum est,
vel factum proprium, vel alienum, concernit, ita iuramen-
tum vel credulitatis vel veritatis defertur. Extra Saxoniam
quidem parum refert, quibus verborum formulis iura-
mentum tale deferatur, sed Saxones in eo satis subtile sunt,
vt nisi debita & consueta formula adhibita fuerit, iura-
menti delatio locum non inueniat. Quod si enim super fa-
cto aduersarii proprio iurandum est, muß es ihm allein ins
Gewissen geschoben werden / si autem super alieno, muß
ihm die Klage in seine **Wissenschaft und Wohlbewußt ge-**
stelllet werden / & denique si facta aliena & propria concur-
rant, debet formula coniunctim Gewissen / Wissen-
schaft und Wohlbewußt/ adhiberi. Carpzou, p. 1. C. 12. def.
40. & 41. & in proceß. tit. 11. art. 1. n. 153. seqq. Berlich. p. 1. concl.
55. Quæ quidem hactenus tolerari possent, quatenus ple-
nius & magis perspicue explicit intentionem actoris.
Verum, quod tam superstitione hæ formulæ deferendi
iuramentum seruandæ sint, vt delatio pro inutili habe-
beatur, si in formula peccatum fuerit, & per consequens
de-

Quomodo in
Saxon. iura-
mentum cre-
dulitatis vel
veritatis. defe-
ratur.

deferens non vltierius iuramentum deferre possit, aliquid ex iniquitate trahere videtur. Volunt enim Dd. si forsan super facto alieno iuramentum actor deferre voluit, & formula vñus sit, er wolle ihn die Klage ins Gewissen schreiben/ vel si facta propria & aliena concurrent, tunc priori quidem casu delationem esse nullam, & actorem iam probationem suscipere debere, posteriori vero tantum delationem valere, quoad facta rei propria Coler. p. 1. Decis. 116. Carqz. lib. 1. rep. 77. n. 13. seqq. Ratio horum omnium est, quia actor peccauit in adhibendis verbis & formulis consuetis. Ast hoc iam per se tacite in ipsa delatione intelligitur, vt aduersarius demum de veritate & certa scientia iurare debeat, si factum proprium eius in quæstione sit, quibuscumque demum vñus fuerit verbis. Et ita in effetu officium iudicis suppletorium in Saxonia exulare videatur, quid quod ita saepè quis causa cadere possit, ex inani subtilitate non obseruata, qui forsan aliis probandi mediis destituitur. Äquius sine dubio esset, si magis ex intentione deferentium, vt fieri debebat, quam ex nudis verbis, interpretatione delationis desumeretur.

§. XXIV. Is cui iuramentum defertur, vel iurare, vel referre, vel denique pro exoneratione conscientiae probationem suspicere debet. Carpz. p. 1. C. 14. def. 14. iuramentum enim tunc demum locum habet, si alia probatio defecerit c. 2. X. de probat. & pertinet huc quoque dictum apud Vlpianum in L. 13. §. f. ff. de iurei. petulantem ne iurato. Vnde optime omnino prouisum, vt is, cui iuramentum delatum est, possit probationem illius suscipere, de quo iurare debebat. Berl. p. 1. concl. 32. n. 21. Brunnem in proceß. Civil. c. 23. n. 14. Verum, quod alias ex optima ratione constitutum, id postea ex aduocatorum & litigantia malitia factum est remedium iniquissimum protium

Reo pro exoneranda conscientia probationem suscipiente non concedendus recusus ad iuramentum.

landi lites, postquam scilicet reo defensionem conscientiae legitimis probationibus faciendam fuscipienti, postea tamen in probatione succumbenti, adhuc regressus conceditur ad iuramentum praestandum: vti id communiter in praxi ita obseruari solet Carpz. p. 1. C. 14. def. 18. Meu. p. 6. dec. 108. Richter. p. 3. decif. 108. n. 14. Hoc modo enim plerumque contingit, vt reiurare iussi probationem fusciant, testes producant, & examini submittant, ac longis ambagibus super dictis testimoniis disputatione, tandemque, si vel maxime nihil probatum sit, securum adhuc se refugium habere sciunt ad iuramentum praestandum. Quo ipso mirum in modum lites, quae per iuramenti praestationem praesentem potuerint tolli, protelantur, atque adeo sub hoc refugio morosi debitores & rei fugientes actorem defatigere contendunt, vt saepe vel desistat, vel ad transactionem inducatur. Optimum quidem esse dixi, si iurare iussus ad defensionem conscientiae admittatur, verum simul praecauendum erat, ne talis defensio conscientiae medium lites protelandi fiat, quod tunc praecaueri posset, si probatione suscepta & peracta, ad iuramentum praecluderetur regressus, & statim super probatione, ad effectum vel condemnandi vel absoluendi, pronunciaretur. Hoc enim si fieret, morosi rei, qui satis cognitum habent, se probatione nihil optinere posse, illa subverserent, & statim iuramentum vel praestarent, vel soluerent, quo ipso lites mirum in modum possent abbreviari.

Vlterius deducatur.

XXV. Quamvis vero contraria sententia non tantum constitutionibus prouincialibus confirmata, sed etiam praxi plerumque locorum recepta videatur, non desuere tamen ICti, qui, incommoda huius praxicon siderantes, illam poruis abolendam quam conseruandam crediderunt. Propterea etiam in quadam prouincia Saxonica

onica, vbi imprimis praxis huius rei frequentissima erat, in conuentu prouinciali a statibus prouincialibus gravissimæ institutæ sunt deliberationes, de non permittendo amplius hoc regressu ad iuramentum; sed votis plurimorum non respondit euentus, & ita praxis hæc necessaria emendatione hactenus caruit. Interim, si verum fateri fas est, in iure communi ne quidem hanc praxin fundam inuenio. Evidem Carpzouius *in proc. tit. II. art. 5. n. 37.* Carpzouio re-
spondetur. prouocat ad commune iuris axioma, quod cum probatio pro exoneranda conscientia in fauorem eius qui, iurare iussus est, sit introducta, in odium ipsius detorqueri non debeat, quod tamen fieret, si regressus ei ad iuramentum præcluderetur. Verum, quod loco iuramenti praestandi probatio admittatur, id non tam in fauorem iurare iussi introducendum videtur, sed potius ex indole iuramentorum proprio dependet, quædemum in subsidium admitti debent, deficientibus omnibus probationibus, quæ si adfint, vel esse sperentur, temere quis ad iuramentum adigeretur. Et quis potest esse fauor in tali causa, in qua potius se ipsum grauat? ei alicuius in fauorem aliquid indulsum dicitur, necessario stricto iure contrarium obtainere debet, quod tamen hic dici nequit. Ergo hic quoque obtainere debet, illud vulgatum: viam, quam semel ingressus es, ambula. Nam ex hac ipsa ratione, si actor reo detulit iuramentum, si quidem hic ad iuramentum declinandum probationem aggressus est, actor non admittitur ad probationem contrariam Carpz. *p. C. 14. def. 6.* Cuius ratio protissimum hæc esse videtur, quod, qui iuramentum semel detulit, probandi conditionem deseruerit quam per indirectum rursus amplectetur, si ad probationem contrariam admitteretur Goswin. ab Esbach. *in Not.* *ad Carpz. cit. l. def. 16. n. 2.* Sic quoque reus non potest profili

lire ad probationem, si iusurandum semel acceptauit, sed tum demum si illud non acceptauit. Cuius rationem dat Carpz. d. def. 16. n. 2. quia quod ab initio fuit voluntatis, postea fit necessitatis. Atqui, si parata est probatio, illa potius esset admittenda, quam minus necessarium iuramentum exigendum. Et qualis quæsto estraratio diuersitatis inter hunc & alterum, de quo disputamus, casum? Probatione pro exoneranda conscientia a Reo semel suscepta & peracta adhuc eum ad iuramentum admittendum esse volunt, sed iuramento semel suscepto & nequidem præstito, nolunt permittere reo recursum ad probationem. Sane, quacunque ratione hoc consideretur, non coheraret. Imo maior adhuc dubitandi ratio pro præsenti causa occurrit, vbi non nuda suscepitio probationis occurrit, qua derelicta facilius posset præstari regressus ad iuramentum, sed ipsa probatio, quantum quidem in viribus rei positum fuit, peracta, te tamen rursus ad iuramentum admittitur reus. Ast in altero casu ob solam susceptionem iuramenti a probatione quis excluditur, vbi nuda & mera tantum declaratio animi occurrit &, sic minus præiudicium alterius.

De abusibut
circa relatio-
nem iura-
menti.

§. XXVI. Ceterum non præcise adstringendus est reus, vt iuramentum eidem delatum, vel præstet, vel contrarium probet, sed positis terminis habilibus illud actori referre potest. *L. iusurandum u. §. 7. l. manifeste. 38. ff. de iure iur. l. delata 9. C. de reb. credit. c. iuramentum 36. X. de iuri. Carpz. in proceſſ. tit. u. art. 4. n. 3. seqq.* quæ relatio non adeo iniqua est, si forsitan reus propter teneritatem conscientiae malit alterius iuramentum admittere, quam proprium præstare. Verum, quia is, cui refertur, simul detulit primitus iuramentum, hinc Dd. statuunt duplex iuramentum eum præstare debere. (1) iuramentum calumniæ pro-

propter delationem (2) iuramentum principale propter relationem : Illud quidem , vt purget malitiam , hoc vero , vt eo ipso suam intentionem probet , adeoque nullum in eo absurdum esse , quod quis vtrumque iuramentum præflet , concludit . Carpz. in proceſſ. tit. ii. art. 4. n. 28. Id. p. 1. C. 14. def. 5. Franzk. ad ff. de iure iuri. n. 16. Brunnem. in proceſſ. c. 23. n. 17. Iac. Schultes ad Modest. Piflor. p. 3. qu. 130. n. 29. Verum iam Brunnem. cit. l. annotauit cum Hilligero ad Donell. lib. 24. c. 21. lit. R. hanc sententiam ratione certa defendi non posse , si ad libellum iuris exigatur , quia frustra præsumitur calumnia in eo , qui ipſe iurat , cum tamen iuramentum calumniæ suspicionem calumniæ præsupponat . Imo variis ex causis hæc praxis videretur aliquid ex iniuitate trahere (1) quod absque necessitate alicui iuramentum deferatur , cum tamen eo ipso , quo de re principali in item deducta iurat , satis constet , quod nulla ad sit suspicio calumniæ . Ponamus super contractu quodam , quem reus negat , delatum esse ei iuramentum , illudque actori relatum si vtrumque iuramentum præstare debet , in effetu bis de eadem re iurat . Primo scilicet iurat , quod iuramentum reo non detulerit animo calumniandi , quo ipso simul confitetur , contractum esse initum , si enim contrarium sciret , calumniose detulisset iuramentum . Deinde illud ipsum , quod iam implice iuramento asseruit , de nouo in iuramento principali afferere debet . Dum itaque de causa principali iurat , non amplius est præsumtio , quod calumniose detulerit ; cessante autem omni suspicione malitia & calumniæ , iudex hoc iuramentum præter necessitatem non debet admittere . (II) Multipli cantur ita iuramenta , quasi iuramentis ludere permisum esset , & res quædam profana , quæ pro habitu præstari & exigiri posset . Et si (III) a referente non exigitur iuramen-

tum calumnia & iusumndum 34. §. 7 ff. de iure. qui tamen contra conscientiam & calumniose referre iusurandum potest, (qualis præsumptio sœpe contra eum est, qui ita iuramentum declinat) absurdum vtique est, velle exigere hoc iuramentum ab eo, qui ipsum principale iuramentum præstat.

*Suppletorium
cui in dubio
deferendum,*

*An potius ma-
sculo quam fe-
minæ.*

*An diutius &
nobili quam
pauperi & ple-
beio.*

XXVII. Pergo ad iuramenta legalia, quorum variae in iure Ciuli reperiuntur species. Suppletorium ordinarie ei deferendum, qui semiplene probavit, vbi aliquando dubium contingere potest, cui potius deferendum, si forsitanque semiplene probasse videatur. Hic siudent Dd. non tantum respiciendum esse ad ipsa momenta probationum, vter ex litigantibus fortius probauerit Carpz. p. 1. C. 23. def. 7. n. 2. sed etiam ad personarum conditionem. Quamvis vero haud diffitear, selectum inter personas habendum, & illum potius admittendum esse, qui minus de periurio suspectus est; attamen iniquum videtur illum selectum ex conditione sexus, vel alia externa qualitate, velle desumere. Sic enim communiter docent, masculo potius esse deferendum, quam feminæ, quod variae & mutabiles sint feminæ, adeoque ad peierandum procliuiores c. 10. X. d. V.S. item auaræ, tenaces & pecuniarum cupidæ Carpz. cit. l. ibique Goswin ab Esbach. ad n. 5. Mascal. de prob. c. 10. n. 29. seqq. Finkelthaus obf. 22. n. 12. Vmnius ad proceſſ. difſ. 14. tb. 14. n. 8. Setser. lib. 4. de iuram. c. 13. n. 7. Verum hæc sententia nec in ratione nec in lege fundata est. Sexus certe per se ad fidem adstruendam vel infirmandam parum facit, alioquin feminæ a testimonio ferendo essent arcenda, quæ tamen admittuntur. Neque suspicio periurii ex sexus conditione desumenda erat, sed ex vitæ prauitate & malis moribus. Eadem iniquitate laborat altera sententia, quod hoc casu sit præferendus magis diues & nobilis, pauperi & plebeio

plebeio Carpz. cit. l. n. 6. Lauterbach. in Colleg. Theor. pract. tit. de iurei. §. 76. in fin. Setser. cit. l. Diuitiae & nobilitas generis per se plus fidei nemini conciliant, imo plerumque mores in his peiores sunt quam in plebeiis & pauperibus, sicut enim paupertas per se non vitium, ita nec virtus est nobilitas & diuitiae: & quemadmodum avaritia ut plurimum diuites occupat, ita nobilitas saepe malis moribus de honestatur. Evidem hic prouocare solent ad L. 3. ff. de ne-
βιβ. sed absque fundamento, quia non ad solas diuitias aut generis nobilitatem respiciendum esse afferitur, sed potius omnia iudicis arbitrio relinquuntur, quantam fidem testes mereantur; praesertim, cum statim subiiciatur, hoc quoque respiciendum esse, *an honeste & inculpate vita,* *an vero notatus quis & reprobabilis sit*, id quod potissimum considerandum esse, recta quoque ratio dicitat: conf. Dn. Praef. dis. de interrog. inept. §. 14. seqq. vbi pluribus hanc ini-
quitatem detexit. Consultius itaque foret, si absque περι-
τοπολυψία, qualis reuera hic subest, ceteris paribus, poti-
us iuramentum deferatur, reo quam actori; cum actor contra reum vincere non possit, si non fortiores probati-
ones attulerit, & alias iudex pronior debeat esse ad absol-
vendum, quam condemnandum, ac ita quoque pronior ad iuramentum reo deferendum quam actori arg. L. 125. ff.
d. R. I. Fachin. lib. 1. contr. 18. in fin. Hahn. ad Wef. de iurei. n.
10. Franzk. ad tit. de iurei. n. 133. Brunnem. ad L. 31. ff. de iu-
rei. n. 3.

§. XXVIII. Vbi autem in supplementum iuramen-
tum est, ordinarie iurandum de veritate, non de creduli-
tate Berlich. p. 1. concl. 53. n. 17. Mynt. 2. obs. 68. n. 2. iurans,
enim in hoc iuramento tanquam testis producitur in pro-
pria causa Carpz. p. 1. C. 23; def. 12. n. 6. testi autem de credu-
litate afferenti non credi potest in causa aliena, multo mi-
nus;

Deferendum:
reo potius
quam actori.

Ajuramen-
tum suppler-
torium de credu-
litate admis-
tendum.

nus ergo in propria , vbi magis suspectus est , & sibi aliquid
vbi de proprio interessè agitur , facile per suadere potest .
E quidem aliquando iuramentum suppletorium de credu-
litate locum habere posse , censent Dd. quod facile conce-
do , in iis casibus , vbi testes etiam de credulitate admittun-
tur , vt in factis antiquis &c. Esbach. ad Carpz. p. 1. C. 23. def.
8. n. 3. At vero id non latius extendendum erat , alias in-
signis iniquitas inde potest oriri . Vno tantum id declarab-
o exemplo . Sic notum est , quod libri mercatorum in
praxi , si sua debita requisita habeant , (de quibus consuli
potest Dn. Klein Ictus Rostochiens. in Diss. de probat. que fit
per libros mercat. c. 2.) faciant semiplenam probationem
Dn. Stryk. Diss. de semipl. probat. c. 4. §. 5. n. 8. Hering. de si-
deiis. c. 20. §. 1. Dn. Klein. cit. l.c. 3. atque adeo si mercator
per iuramentum suppletorium illos confirmauerit , oritur
inde plena probatio , ad effectum condemnandi vel absolv-
endi Myns. cent. 2. obs. 68. n. 6. Berlich. p. 1. concil. 53. n. 16. §.
34. Christinæus vol. 3. dec. 2. n. 3. Dn. Stryk. cit. l. c. 5. n. 3.
Dn. Klein. cit. l. c. 4. n. 10. seqq. Sed sape contingit
vt heredes defuncti mercatoris ex libro tali debitores
hinc inde conueniant , qui tamen ipsimet librum talem
non confecerunt , nec omnium circumstantiarum gnari
sunt , adeoque accidere potest , vt quidem credant ,
omnia esse satis plana & sincera , quæ libro tali inserta sunt ,
sed de ipsa veritate iurare non possint . Quid ergo iuris in
hoc casu ? Dicunt communiter Dd. quod in hoc casu here-
dibus sit imponendum iuramentum suppletorium cre-
dulitatis Carpz. 10. Rep. 121. Mylius de libris Mercat. c. 8. Dn.
Brunnem. in proc. Ciuit. c. 23. n. 25. Sed quemadmodum
prælaudatus Brunnemannus optime annotat , hoc esse
valde exorbitans , & tantum in fauorem commerciorum
recepturn , ita non adeo hæc praxis ab iniquitate defendi
pot-

poteſt. Nam (1) ante iam dictum, iuramentum ſuppletoriū ordinarie debere eſſe veritatis non credulitatis, niſi vbi teſtes de auditu & credulitate admittuntur, quales ta- men in debitis non admitti certum eſt. (2) Heredes ſemper iuſte credere poſſunt, librum patris ſui eſſe ſincerum & planum, atque adeo ſemper hoc iuramentum praefare, quo ipſo ſæpe ad ſoluendum condenmantur, qui nihil amplius debent. Experientia enim teſtatur, haud raro in li-bris mercatorum non deleri per negligentiam vel incuriam, quæ iam ſoluta ſunt, quarum quidem ipſe mercator ſcientiam habere poſteſt, ſed non aequa heredes; & ſic non poſteſt non iniqutias inde oriri, dum ita heredum iu-ramento ſtatur, licet debitor ſe ſoluiffe & nihil debere aſſer- rat. Meo itaque iudicio potius debitor ad iuramentum eſſet admittendum, ſaltim purgatorium, quippe quod etiam tunc adhiberi ſolet, vbi ſemiplena quidem pro altero adefit probatio, ſed ob aliquod impedimentum ſuppletoriū praefari nequit Carpz. p. 1. C. 22. def. 14. Brunnem. in proc. ciuil. c. 23. n. 34. Meuius p. 5. dec. 173. & dec. 282. & p. 8. dec. 57. Heig. P. q. qu. 40. n. 24. Nec ratio deficit; nam ita de veritate iuratur, cum alter ſaltim de credulitate iu-ret, atque adeo hoc iuramentum cum ſemiplena coniu-nētum non poſſit plenam efficere probationem.

§. XXIX. Sed & circa iuramentum purgatorium De iuramen-to purgatoriō
aliquid monendum eſt. Solet hoc deferri illis qui ſuspicio-nibus grauati ſunt, ut ab iis iuramento ſe purgent, quod propter approbationem iuris Canonici vocatur purgatio Canonica tot. tit. X. de purgat. canonica. Circa hoc iu-ramento primo illud notamus, quod non facile deferendū ſit, ſed hic omnino eo reſpiciendum, an perſona ſit fide digna. Struu. Iurifpr. L. 4. tit. 12. §. 13. Vnde, ſi me-tus per iurij ſit, reo iam parato ad iurandum, illud potius

remitendum esse, recte statuit B. Brunnen. *in Proc. Ciu. c. 23. n. 35.* Sed, quam perperam hoc obseruetur, communiter praxis docet. Nullum fere exemplum, vel rariſſime tantum, occurrit, reum hic bonam fidem agnivisse & delictum, quo grauatus est, confessum esse. Sed, instas forte, ergone ita si iuramentum hoc ſuspectis & malis hominibus remittendum, illi pure abſoluendi ſunt? Respondeo, meo iudicio, reo quidem, vt parcatur animæ eius, remittendum eſſe iuramentum, ſed tum, quia tamen ſuspicionibus & indiciis grauatus eſt, extraordinarie puniri debet. Hoc enim malis moribus ſuis, & quia depravata vita cauſam ſuspicioni dedit, ſatis meruit. Vtile etiam eſt, vt ſi leuior forte confefſo delicto peena ſtatuenta, ſententia ita concipiatur, quo iurans videat, non tanti eſſe propterea periurium committere, & hac ratione a peierando abſtrahatur. Quod v. g. tali formula fieri ſolet: *daz inquisit ſeiner Begünſtigungen halber mit 10. Thal. oder Gefängniß / zu beſtraffen / er könnte ſich dann vermeide Eydes reinigen / daz er &c.* Quo modo ſæpius pronunciauit illuſtris Facultas iuridica Hallensis.

Iuramentum
minorationis,
an æquitatii
conueniens.

§. XXX. Sequuntur iuramenta, quibus aliquo modo lis taxatur, vel æſtimatur. Huc (1) ſpectat iuramentum *minorationis*, der Minderungs Eydt apud Saxones cognitum; de quo adhuc valde diſputant, an ſit legale, quod vult Rauchbar. p. 1. qu. 9. Benekend. *ad Seraph. tr. de priu. iuram. priu. 31. n. 41.* an vero non legale, quo inclinat Carpz. p. 1. C. 23. def. 16. Berlich. p. 1. concl. 56. n. 10. quam qui- dem queſtionem, tanquam a ſcopo noſtro alienam, hic tetigiffe ſufficit. Conſiſtit autem natura huius iuramenti in eo, quod ſcilicet, vbi alicui vi aliquid ablatum eſt, actor rem vi ablatam & danno ſtimate, modo in generē pri- vs probatum fuerit, danno ſatum eſſe & vim illatam, tunc

& tunc soli aestimationi damni iniuratae etiam creditur. Coler. *de proc. execut. in pref. n. 14. seqq.* atque reus in illam taxatam summam condemnatur; nisi estimationem hanc iuramento diminuere velit, ad quam deminutionem admittitur, & hoc est iuramentum minorationis. Evidem certò iure in Saxonia hoc ipsum obtainere constat, sed periculosa fatis praxis, si rem paulo penitus inspicimus. Ordinarie hoc certum est, illum demum de veritate iurare posse, qui veritatem scire potest, & presumitur. Iam hoc iuramentum minorationis esse veritatis nemo in dubium vocat, & sic necessario presupponit, eum, qui vim intulit, certo scire debere estimationem, tum rei per vim ablatæ, tum damni dati, id quod tamen sua non caret difficultate. Cui damnum illatum, ille rectius sine dubio taxationem damni instituere valet, non vero qui dedit, quia facile sibi persuadere poterit, damnum tantum datum non esse, quo ipso tamen alteri fit praividicium. Si ne dubio æquitati conformius foret, actoris iuratæ taxationi rem committere, partim, quod hic certius premium rerum suarum sciat, partim, quod minus suspectus sit, quia iuramentum tollit suspicionem. Quod & iuri conforme & vocari solet iuramentum Zenonianum vid. L. 9. C. Vnde vi. Hahn, *ad Wessemb. tit. de in litem iur. in fine.* Ast violentus inuasor ex duplice capite fit suspectus. (1) quod de veritate iurare beat, quam hoc in casu fatis scire presumi nequit. (2) quod sit violentus inuasor, qui suo delicto gravissimo maximam certe apud honestos viros iacturam fidei suæ passus est. Imo dum non veretur per violentam inuasionem alicuius bona occupare, multo minus verebitur periurium committere, vt minus quoad estimationem damnorum praestet.

An affirmatio
in actione in-
iuriarum iura-
ta æquitati
conformis sit.

§. XXXI. In actione iniuriarum itidem hodie iu-
ramentum aliquod æstimatorium obtinet, quo actor in-
iuriarum sibi illatam taxat & deinde hanc taxationem medi-
ante iuramento confirmat, iuratque se pro tanta pecunia
nolle hanc iniuriarum pati. Sed vero hic manifestissima
adest iniquitas, vt mirari liceat, quod medios inter Chri-
stianos hominum malitiis ita licenter indulgeatur, cui
tamen obex facilime ponи possit. Ipsa actio iniuriarum
æstimatoria tam iniqua est, vt nullo prætextu æquitatis
& iustitiae colorari possit, cum euidenter ad meram vin-
dictam tendat! Quid enim aliud est æstimator iniuriæ
quam vindicta? sed cum ab aliis, hoc iam satis euictum
sit, ab ulteriori deductione desisto, & lectorum ad Dn.
Bohmeri *Dissert. de iniustitia actionis iniuriarum & ad tra-*
statum, vernacula lingua conscriptum: Eines Christi-
lici Bedenken von iniurien processen / remitto. Exin-
de solum modo nunc concludo, quod si ipsa actio iniuria-
rum satis improba est, adhuc improbus sit iuramentum
æstimatorium. Reuera enim iniuriis nullum nobis
darnum infertur, cum existimatio nostra non depen-
deat a cuiusvis malevoli hominis arbitrio; hinc quomo-
do æstimator locum habere potest, vbi nihil nobis deest?
Proinde haec æstimator iniuriæ nil nisi vindictam meram,
continet L. 2. §. 4. ff. de collat. L. 32. pr. ff. ad L. Falcid. L. 28. ff.
de iure iur. vindicta autem priuata peccatum grauissimum
est contra Deum, dum in odio erga proximum consistit
amori Dei maxime aduerso Ioh. III. 14. 15. Atque adeo
dum per iuramentum taxatur iniuriarum, iuratur de peccato
seu improbitate iurantis. In effectu enim idem est ac si ita
iuraret: *Iuro per Deum, quod ego tam improbus & ab omni*
amore erga inimicos, Christianis a Salvatore iniuncto, tam alie-
nus sine, ut volim iniuriarum illatam ex Christiana charita-

te remittere, sed potius ad vindictam meam erga aduersarium
meum exercendam summam v. c. 100. thalerorum ab eo exigere,
ita me Deus adiuvet. Horrenda sane est formula iura-
menti, si hac paraphrasi circumscribatur, quæ reuera-
latat in formula consueta iuris iurandi, qualis est hæc:
Ich N. schwere zu Gott einen leiblichen Eyd / daß ich die
aus Richterl. Ambi ermäßigte Summe N. viel lieber von
dem Meinigen entzahlen / als solche iniurien leiden will /
&c. Berlich. p. 5, Concl. 61. n. 86. Quid enim aliud est, nol-
le patienter ferre iniuriam perpetram, quam, vindictam
quarere, odium exercere erga proximum, & ita concu-
piscentiis carnis satisfacere; quo ipso iuratur certe de
propria stultitia, & iuramentum tale fere omnibus tri-
bus comitibus destituitur, nam nec veritas adest, nec iu-
stitia, nec verum iudicium. Plane diuersum modum se
vlicisci agnouit optimus Imperator, gentilis licet,
Marcus Antoninus de se ipso ad se ipsum Lib. 6. §. 6. inquiens:
optimus iniuriam vlicisci modus est, inferenti ne sis similis.
Aest qui iniuriam suam aestimat, & aestimationem iura-
mento confirmat, peior est eo, qui iniuriam intulit, quia
dupliciter peccat (1) agendo actione iniuriarum. (2) de
re iniquissima iuramentum praestando, & nomen Diuinum,
sanctissimum illud, impurissimo ore profanando. Simi-
lem fere modum vlicisci cum Antonino refert Isidorus
Pelusiota lib. 2. epist. 296. cuius verba in latino idiomate ita se
habent: *Nihil contumeliosos homines, inquit, tam excruciat
quam eorum, quibus contumeliam infertur, patientia. Nam
qui indignatur & excandescit, hoc ipso veras esse contumelias
ostendit. Qui autem eas irridet, ac pro nibilo ducit, perpicu-
um argumentum præbet se, nullius sibi sceleris concium esse.*
Idem Lib. 3. epist. 181. egregie quoque de hac materia loqui-
tur, vt operæ pretium esse duxerim, verba huc referre,

Cum igitur, inquit, qui virtutem & patientiam colit, mortiferas hostibus plagas infligat, quid, si quis etiam iis, qui liuore feriuntur, veniam tribuat, ac pro ipsis ut ex huiusmodi furore emergant, vota faciat, atque ita sit comparatus, ut non modo a vindicta studio abborreat, sed eorum etiam, quos hoc vitium subegit, miseria commoueatur. Hic demum vere est, qui sincere philosophari nouit. Male itaque faciunt, qui in contrarium agnoscunt, & omnium pessime qui stultitiam suam iuramento confirmant. *Speciosus*, inquit Valerius Maximus lib. 4. c. 2. aliquando iniurie beneficiis vincuntur, quam mutui odii pertinacia pensantur.

Qua ratione
iuramentum
hoc præstetur
super taxatis
iniuriis.

S. XXXII. Sed placet praxeos huius modum paulo penitus inspicere. Nonnulli ex antiquis ICtis tam impudentes fuisse leguntur, ut hunc modum in taxanda iniuria seruandum esse voluerint: Scilicet, contendunt, iniuriatum debere prius taxare iniuriam per pessam, deinde æstimationem in libello expressam iuramento confirmare, & postea demum a iudice quantitatem taxatam & iuramento confirmatam moderandam esse, in qua opinione fuerunt allegati Dd. a Berlich. p. 5. concl. 61. n. 48. & Carpz. pr. Crim. qu. 95. n. 12. Verum haec opinio non tantum iuri aperte reclamat Autb. post insurandum C. de iudic. sed etiam de notio auget improbitatem, quod vterque & Berlichius & Carpzouius agnoverunt, afferentes, ita euidenter occasionem præberi periuriis. Imo cum iniuriarum agens mirum in modum indulgeat effrenatae vlciscendi libidini, & ita quoque vltra modum non possit non iniuriam suam æstimare, certe non video, quomodo periurium ita euitari possit. Ex hac illaque ratione moti prodicti duo ICti alium præscriperunt modum, scilicet, quod iudex pro sua discrezione æstimationem ab actore in libello expressam ad quantitatem certam

tam restringere & taxare possit, ad hoc, ut postea actor vsque ad quantitatem, a iudice taxatam & ad certam sum-
mam redactam, iurare teneatur Berlich. cit. l. n. 85. Carpz.
clt. l. n. 13. In Saxonia tamen liberum est, vtrum quis velit
simpliciter aestimationem iniuriarum in libello facere,
quo casu absque iuramento actoris iudex taxat quantita-
tem, & reum in illam condemnat, an vero se simul offer-
re velit ad iuramentum, quo casu itidem aliquo modo
taxatur quantitas, sed tamen iuramentum praestari debet
Carpz. c. l. n. 9. Quodsi autem iuramentum praestare
nolit actor, propterea quod putet nimis petitioni & op-
nioni suae contrariam esse taxationem factam, denuo re-
cusanti iniungitur iuramentum, sub comminatione abso-
lutoriae sententia Gail. 2. obs. 102. n. 11.

§. XXXIII. Ita quidem proh dolor! praxis seruat, An hæc iuri
sed an iuri consentanea sit, merito dubitare licet. Hoc cer- conformia
tum est, iudici permisum esse sumam in libello expressam
moderari L. 21. L. 37. ff. de Injur. §. 7. I. eod. tit. sed nullibi ex-
prefte dicitur, quod moderata a iudice quantitas sit iura-
mento confirmanda, quin potius in all. §. 7. simpliciter
dicitur, posse iudicem minoris condemnare, prout ei visum fu-
erit. Existimo autem Doctores, quorum sententia
praxin decepit, in errorem illum incidisse, occasione
Auth. Post. iusjurandum C. de iudic. vbi habetur, quod ex-
pensæ litis a litigantibus primo determinari, deinde a
iudice taxari, & tandem iuramento confirmari debeant.
Ast vero a determinatione expensarum, non valet consequentia. Expen-
sæ litium ordinarie suam certam aestimationem recipi-
unt, & hinc sola allegatio de quantitate expensarum
non poterat iudici fidem facere, nisi iuramento confir-
maretur. Ast iniuriæ certam aestimationem non reci-
piunt;

piunt; sed secundum cuiusque effectum æstimantur, & hic absque omni iuramento iudex ex actis satis cognoscere potest, an æstimatio in libello expressa modum legitimum transgredietur, nec ne? itaque reuera est argumentum a diuersis ad diuersa. Adeoque hæc praxis non tantum impia est, sed etiam contra iura ipsa. Confirmabo improbatatem huius praxeos sententia. Ill. Dn. Stryk. tr. de iure sens. dis. 9. c. 4. n. 33. vbi ait; *Vbi ad æstimationem iniurie deuenitur, vbi iot mille thaleris unicum verbum æstimatur, imo, quod maius, iuramento id confirmatur, id an Christiano conueniat, subdubito. Quid hic nisi vindicta? quid hic nisi summus animi rancor, dum eo usque exstuat animus vltor ut tantam pecunia sumnam (si iuramento ipsius credendum) in profundum maris abicere velit labentius, quam unicum verbum, in se & ratione effectus non iniuriosum arg.* L. vn. C. de famos. lib. *equo ac Christiano animo perferre.*

De iuramento
in item affe-
ctionis.

§. XXXIV. Denique in iure satis decantatum super est *iuramentum in item affectionis*, per quod vnicuius cui aduersarius rem restituere dolo nequit, permisum est, rem suam in infinitum æstimare, etiam longe vltra verum pretium L. 68. ff. de R. V. tit. ff. de in lit. iur. Ideo vero dicitur *iuramentum affectionis*, quod cuique liberum sit, pro affectione sua, pretium constituere. Affectione autem talis peculiaris, qua quis rem suam pluris æstimat quam alii, fine dubio deriuanda est, ex peculiaribus hominum passionibus, & imprimis ex ambitione. Quæ enim exempla a Dd. hic afferri solent, ita sunt comparata, vt ostendant, iurantem affectionem suam in rem ob solam ambitionem habere, & hæc affectio dicitur probabilis, quia ambitio inter homines pro virtute habetur. Veluti, si alicui aliquid a Principe donatum, si quis præmium in certamine quodam

dam obtinuit, si res commendetur ob antiquitatem maiorum, a quibus posteri illam acceperunt &c. Auari & voluptuosi itidem quidem peculiarem affectionem in res suas ex passionibus animi prætendunt, sed non adeo talis affectio attendi solet in iudiciis, quoniam auaritia & voluptas pro virtutis soleat haberi, vel saltim ab ambitiosis, ex quibus ut plurimum constant iudicia, reprehendi. Si ergo dicendum quod res est, qui iuramentum in item affectionis præstat, suam propriam stultitiam hoc iuramento æstimat: reuera enim ambitio satis splendidam stultitiam hominum repræsentat, licet ab imperitis rerum æstimatoribus titulo honestatis Ciuilis, imo virtutis, decorari soleat. Non vero mirandum est, quod apud Romanos & Ethnicos tale iuramentum in vñ & praxi fuerit, quia tota horum philosophia imprimis Stoica, ostendit, ad ambitionem omnia in vita humana directa, imo ex illa omnem honestatem, virtutem, decorum, & quicquid aliquam boni speciem quocunque modo habere potest, deducitum suisse. Neque itaque, positis hisce principiis, inconueniens fuit, iuramentum affectionis in item admittere. Sed Christianis imprimis vitio vertendum, quod anguem in herba h. e. stultitiam sub hoc iuramento latitatem, agnoscere nolint. Cum itaque impium omnino sit in delictis suis & stultitia gloriari, sine dubio improbus erit, improbitatem suam iuramento confirmare. Qui accedit, quod tale iuramentum quandam dicatur poenam inferre ei, qui dolo tenuit rem L. 8. ff. de in lit. iurand. adque adeo parum abest, quin vindictam eo ipso erga aduersarium ererceat, quo ipso iniquitas huius iuramenti augetur. Conferatur pluribus Excell. Dn. Thomas. Dis. de *precio affectionis in res fungibles non cadente c. 1. §. 2*

§. XXXV.

74 CAP. II. DE EO QVOD INIVSTVM EST CIRC. SPEC. IVR. IVD.

Conclusio.

§. XXXV. Atque hæc quidem sunt extantiora iniquitatum in iuramentis judicialibus documenta, quæ ut mihi persuadeo, ita comparata sunt, vt a nemine, qui non præoccupatus nimium est, facile in dubium vocari possint. Ceterum plures alios næuos & vitia hinc inde potuisse notari, non diffiteor, ita enim præxis nostra corrupta & defœctibus inquinata est, vt ingentem catalogum iniquitatum construere, non adeo difficile fuerit; sed grauiora notasse nunc quidem sufficere existimau. Devs vero, summus iustitiae Praes, qui ipse est iustitia, dirigat corda eorum, qui ad emendationem iudiciorum aliquid conferre possunt, vt quantum in ipsis est, omnem moueant lapidem, quo non modo a talibus apertissimis iniquitatibus, sed etiam ab aliis næuis, magis magisque iudicia purgentur. Fauxit idem Devs, vt omnibus iudicibus id ante oculos semper versetur, quo Iosaphat iudices a se constitutos alloquebatur: *Videte quid facturi sis; non enim iudicium exercetis homini, sed leboue, qui vobis est in iudicio, quare sit timor leboue super vobis.*

2. Chron. XIX. 6. 7.

F I N I S.



Halle, Diss., 1706 (-Si.)



SL





2. D. B. V. 1703. 258. 25
DISSE^TAT^O IVRIDICA IN AVGVRALIS,
DE
**EO QVOD INIV-
STVM EST CIRCA IVRA-
MENTA IVDICIALIA,**

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

**DOMINO
PHILIPPO WILHELMO**

PRINCIP^E BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO
AC DVCATVS MAGDEBURGICI GUBERNATORE &c.

IN ILLVSTRI ALMA FRIDERICIANA
AVCTORITATE INCLYTI ICTORVM ORDINIS

PRAESIDE

DN. IO. SAM. STRYKIO I^CTO
SERENISSIMAE VIDVAE SAXO-ISENACENS. CONSILLARIO
AVLICO, PROFESS. PVBL. ET COLLEGII SVI
H. T. DECANO

PRO LICENTIA

Summos in IVRE honores rite consequendi
d. 16. Jun. A. R. S. M DCCVI. horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAIORI

PLACIDAE ERVITORVM DISQVISITIONI SUBMITTIT
SAMVEL HENRICVS SIBEHT
GVSTROV. MEGAPOL.

HALAE Magdeb. Litteris Orphanotrophii.

